
Cælij Secundi CVRIONIS PASQVILLVS ECSTATICVS,

unà cum alijs etiam aliquot sanctis pariter & lepidis Dialogis, quibus præcipua religionis nostræ Capita elegantissime explicantur.

OMNIA, QVAM VNQVAM *antea, cum auctiora, tum emendatiora. quorum Catalogum uersa pagella indicat.*

ADIECTÆ QVOQVE SVNT *Quæstiones Pasquilli, in futuro Concilio à Paulo* III. *Pontifice indicto, disputandæ: lectu iucundissimæ.*



ㄷ ㄷ .\\\ ㄱ

EORVM QVAE HOC LIbello continentur, Catalogus.

TYPOGRAPHVS PIO LECTORI SALVtem per Iesum Christum unicum Seruatorem.



VIBVS artibus superioribus sæculis Sathanas, cum suis, errores, & perniciosas hæreses in Christi Ecclesiam dissipare, ac spargere non cessarit, ita omnibus perspicuum esse non dubito, ut necesse minime sit, me nunc ad id ostendendum diutius immorari. Quare nemini quoq; mirum uideri debet, si Christus nuper rursum in mundum, ad expellendũ sponsæ suæ hostem, ingressus, ita excitat suos, ut dies noctesq; nihil cogitent, quàm quoquomodo Christi sui gloriam, et Ecclesiæ salutem promouere. Hinc uariæ piorum doctorumq; uirorum scriptiones, quarum genera hic enumerare longũ, & non suo loco foret. Illam autem uarietatem esse apprime utilem, nemo negare potest, qui hominum naturas tam uarias, et mores percognitos habeat. Nam alius erudita aliqua, & copiosa sacrorum librorũ interpretatione, alius simplici et breui,

alius mediocri delectatur. Sunt etiam qui certorum locorum acutam explicationem malint: nonnulli seria & graui planè disputatione, quidam iocosa & iucunda, quidam ex graui & iocoso genere temperata mirum in modum capiuntur. Quamobrē optimus ille Pater, qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis peruenire, quiq; naturas ipsas hominibus ingenerauit, uarijs quoq; modis homines ad sui trahit cognitionem: ac pro sui cuiusq; natura & more, unicuiq; adhibet animæ medelam. id quod in ijs, quos nunc damus, dialogis apparet. Mihi quidem uidētur in eo genere uersari, quod iocādo seria tamen ducit. In his enim ita ioci cum grauitate certant, ut nescias utri palma deferenda sit: nisi quod materia ipsa interdum iocos respuere uidetur. Hos itaq; dialogos eo libentius typis imprimi nostris uoluimus, quòd ad multos Christo lucrifaciendos, et Antichristum detegendum, hoc est extinguendum, aptißimi uisi sunt. Nam ut præclarè dictum est ab Horatio poëta, Omne tulit punctū qui miscuit utile dulci. Hoc uolebam, amice, nescius ne eßes. Vale per Iesum Christum Pont. Opt. Max. & tantam ueritatis cognoscendæ occasionem nosce, & ea fruere.

AD AMPLISSIMOS VIROS IO. IAcobum Vatuilianum & Io. Franciſcum Negelinum, alternos Coſs. Arctopolitanos, Cælij Secundi Curionis Paſquillus Ecſtaticus.



VM Venetijs eſſem, uiri clariſſimi, ad quã urbem tanquam in portum, ex infinitis laborũ fluctibus, malorumq; meorum procellis confugeram, etſi, qui locus quietis plenus fore uidebatur, in eo graues moleſtiarum tempeſtates extiterunt, multa quotidiè, & uaria, de hominibus omnium ordinum audiebam. Eſt enim ea ciuitas nõ minus nouarum rerum, quàm mercium refertiſſima, utpote ad quam ex omnibus ferè locis, quaſi ad communem quendam

totius orbis terrarum mercatum con
uenire multis, uarijsq; de causis mor
tales consueuerunt. Nos autẽ, quan
quam minime omnium, rumorum
rerumq; nouarum cupidi semper, et
studiosi fuimus, uaria tamen, quòd
cum hominibus hisce uersaremur,
quos talia & audire, & tractare opor
tebat, audire cogebamur. Quam-
obrem cum aliquando apud uirum
principem quendam essem, opti-
mum, meiq; amantissimum, duo e-
ius familiares, nec à nobis tamen
abhorrentes, Ioannes Iullieus, & A-
lexander Cellerinus, Roma uenisse
nunciantur. Quo audito, omnes à
mensa (uix enim pranderamus) sur-
reximus. Ac cũ inter nos, ut noster
usus ferebat, amicissimè consalutas-
semus, rogauit princeps, nunquid
nam esset Romæ, aut alibi, noui. Illi
autem, cum totam Hetruriam ma-
gnis & crebris terræmotib. concus-
sam,

ſam, atq; illis ipſis motibus oppida nonnulla funditus penè tota collapſa, multosq; mortales ea ruina oppreſſos renunciaſſent: cũq; nos tres princeps ipſe in cõclaue ſeduxiſſet, ſermonem illi quendam Paſquilli et Marforij retulerunt. Quo ſermone, Paſquilli ipſius uiri ſapiẽtiſſ. atq; optimi ecſtaſis, uiſum'ue quoddã mirabile cõtinebatur: quẽ à fide dignis atq; idoneis teſtibus ſe accepiſſe confirmabãt. Quem ſermonẽ mandare literis cõſtitui: uel ut ea quæ cœleſtis ſpiritus inſtinctu atq; afflatu nobis per tales uiros eſſent patefacta, cuſtodirem literis, ſi ullo modo aſſequi complectiq; potuiſſem: uel quôd eum tum præſentibus, tum poſteris utilem fore iudicaui. Ad uos autem eum mittere, & duorum Conſulum auſpicio edere uolui; ut maxima cũ ueſtra ergà me, tum iſtius ueſtri ſenatus ampliſſimi merita teſtarer, ani

moćq; retinere declararē. Vos enim me ab Italia Euāgelij causa exulem & naufragum, recepistis: uos Lausannēsi collegio præfecistis: uos præmio liberali ornatis & fouetis: cuius facti caussa non ego solus, sed literæ, & literati omnes, pijq; uobis debent, debereq; fatentur. Quid enim aut laudabilius, aut Deo gratius, aut hominū generi utilius facere principes possunt, quàm studia literarū alere; quæ ad pietatem, & Christianam religionem tuendā & promouendam, tantū habent momenti, ut sine his iacere & interire, cum his stare atq; florere omnis boni moris, omnis ueræ sinceræq; religionis ratio uideatur? Quod à uobis cum re ipsa compertum esset, Bernæ primùm, deinde in hac ciuitate, collegia literarum erexistis, in quibus de uestra liberalitate, & bonæ spei adolescentes non pauci sustentantur, &

linguarum, cœlestisq; sapientiæ doctores atq; magistri honestis præmiis afficiunt. Vobis Dominus pro ista tam eximia pietate, cum hic fœlicem uestri principatus administrationẽ, tum postea præmiũ immortalitatis dabit. Itaq; hunc sermonẽ, & qui hunc quasi comites sequuntur, ita accipite, ut me quoq; & meos accepistis. Vos nobis hæc ocia facitis: ad uos ocij quoq; fructus, quãtus ille cunq; est, redire debet. Nos, quos pietas administratioq; reipub. coniungit, dedicatione seiũgere noluimus. Sed quo citius hoc quod suscepimus, cõficere possimus, ad eorum quos proposui, sermonẽ ueniamus. Marforius ad Pasquillum noctu uenit: ab eo sermo orit. respondet Pasquillus, ac quid uiderit enarrat. quorũ tota disputatio est de corrupto religionis statu, rebusq; cœlestib. quas res uos ipsi legentes cognoscetis,

AD LECTOREM AND. ZEBED. BRABEANDRI, DE Cælio Secundo Curione.

Qui genus & nomen Cœlo deduxit, & idem
Nulli unquam ingenij laude Secundus erit.
Hunc dubitare potes uirtutem extendere uelle,
Qui patet immensum totius orbis iter?
Extendet lingua, & calamo, atq; illustribus actis,
Expendet, dicet, scribet, agetq; probè.
Tartarus obsistat licet, & tria fulmina Paulus
Indoctum Angelica uibret ab arce caput.
Hoc genus, hoc nomen, solo sub numine Christi
Tartareum & Latium uincet ubiq; canem.
Efficietq; omni Taurinâs Curio cura,
Vt Romana semel Curia tota ruat.

Eiusdem.

Scire cupis, qui, quod Cœlum ratione petatur?
Pasquillus uerax hic tibi doctor erit.
Singula perspexit, leuis experientia non est:
Non est Ecstatici fingere uana patris.

Adelon.

Vt taceant homines, clamabunt horrida saxa:
Pasquillus saxum est, hæc tamen, hæc loquitur.

RERVM ET VERBORVM IN
sequentibus memorabilium Index.

Angliae

Cerberus

Christi

Claues

Curtisani

Euange-

Hæretici

Monaste-

Operum

Pontifi-

FINIS.

PASQVILLVS ECSTATICVS.

Collocutores.

MARFOR. PASQVILLVS.



VID hoc est noui, mi Pasquille, quòd uultu es tam radianti, & splendido? P. *Sic solent qui ex superis redeunt Marfori. An oblitus es Mosem illum ex solo Dei colloquio olim totum irradiasse?* M. *Memini. Sed quid audio? euolasséne ad superos saxa?* P. *Quasi hoc magis mirum uideri debeat, quàm eò conscendisse tot monachorum, sacrificulorum, Abbatum, Episcoporum, Paparum uentres, quibus ferendis, uel elephantes succubuissent.* M. *At isti homines erant: hoc uerò miror, quid dijs commune cum saxis?* P. *Quid dijs commune cum leonibus, & tauris, uolatilibus, & aquilis, à quibus nihil expectes quàm certa pericula? Et tamen hodie admittuntur inter deorum consortia.* M. *De dijs Christianorum loquimur, Pasquille: mittamus nugas Lucianicas suo authori.* P.

Patior ut de Christianorũ dijs loquare, quorum certe magna pars è saxis dedolati uidentur. M. *Non putarem illos deos.* P. *Nescio quid tu opineris: ego scio hodie uulgò sic persuasum.* M. *Quis, quæso, est tam ignarus, qui colat deos saxeos?* P. *An ista sit ignorantia, non possum dicere. Sanè, quantum licet conijcere, apud omnes pietas habetur: & si rectè inspicere uolumus, eos adorari, ex ipso ornatu & cultu facilè conuincemus. Et quæ est, quæso, tua tanta supinitas Marfori, ut saxa sic contemnas? An tam subitò tibi excidit, quanto in honore saxa semper apud homines deosq; fuerint? Sanè apud nostros* Quirites

Deus Terminus. *olim* Deus Terminus, *qui nihil quàm rude saxum erat, tamẽ in religione habitus fuit, ut illo solo arbitro, in dirimendis, componendisq; litibus, contenti essent, quem scirent nihil inique decernere: sed agros, limites, & cætera omnia, pro quibus nonnunquam sese mutuò homines conficerent, à litibus, omnique controuersia uindicare: adeò ut creditum sit illum unum saxeum* Deum, *cum Saturno aureis illis sæculis natum. Apud ipsos uerò deos quanta fuerit in ueneratione, quis est qui ne sciat? Nam templo exactis à Ioue reliquis dijs, ferunt solum* Deum Terminum *cum Ioue remansisse: ab illo, ob iustitiam & æquitatem in admira-*

tione habitum. Et illud est quod noster Ouidius olim in Fastis cantaba: Terminus & magno cũ Ioue templa tenet. M. Non putaram de tam rudibus, & impolitis dijs tam acutè posse disputari. Sed iam tandem omißis istis, quid in cœlo egeris referas: nam uigiles hic dispositi dormiunt, & nos hic soli sumus, ipsa autem longa nox est furtiuis colloquijs perquàm accommoda. P. Cogis tu me quidem ad longam historiam Marfori. Sed in tanta oportunitate quid celes tam fido sodali? & maximè cum raró, & non nisi de maximis rebus conueniamus? M. Perge ergo, & quod in hac re est tædij, id nostri nunc causa tolerato, qui aliàs tecum paria sumus facturi. P. Iam ergo ausculta. M. Audio. P. Ego, mi Marfori, posteaquàm sæculo primum innotui, scis me omne meum studium, & institutum eò uertisse semper, ut omnes homines ab impietate ad iustitiam conuerterem: & maximè ut Monarchas, & Principes sui officij admonerem, quos hodie Gnatones & Muscæ illæ Diogenianæ du'cibus illis sibilis tam reddunt surdos, ut nulla uox, nisi esset planè saxea, in obsessas istas aures penetrare posset. Hinc toties, & tam contentiosè à me clamitatum est, dum totus in aurem conor irruere. M. Sed quæ fuit tua tanta temeritas, ut ad hoc mu- Diogenianæ muscæ.

nus, sine Pontificis licentia te ingereres? P. Absit Marfori, nihil hic temere, aut arroganter à me factum est. Magna omnibus temporibus fuit prædicandæ ueritatis necessitas. Et posteaquàm iam passim illa enecata iacet, & uulgò siletur, necessum est, teste Euãgelio, ut nos saxa prædicemus.

Saxa uocalia.

M. Nesciebam hoc Pasquille: prouidebo ne ego deinceps mutus reperiar. Tu autem perge, sicut institueras, ad narrationem. P. Interea dum uideo omne meum studium malè collocatũ iri, cœpi nõnihil dubitare de rebus humanis, quæ forte regerentur. Hæsitabam de Dei prouidentia, de Dei iustitia, uidens iustorũ passim afflictionẽ, & impiorũ bene fortunatam sortẽ. Sæpe mecũ cogitabam: Quid est, quæso, quod inter homines dispensat? Iam persuasus aliud ferè quiddã esse, quàm in rebus cæteris naturæ. M. Ista erat uera ad Epicureismum uia. Sed quid? dubitabas unus ne esset qui omnia regeret? P. Illud ipsum, mi Marfori. M. Quid te eò impellebat? P. Videbam Deum, in natura rerũ, rem esse multò ordinatissimã: cernebam omnia suis temporib. turgescere, florescere, & tandẽ fructus optimos reddere, quasi ultimã isto munere naturæ gratiam res oẽs referrent: & sic rursus marcescere: & ad matrem suam, & primordia cuncta redire: Cœlum uerò,

Pasquillus dubitat de prouidentia.

Naturæ contemplatio.

uerò & stellas à cursu debito & stato nusquam deflectere, non citius, non tardius ire, oriri, occidere: ad hæc terram, maria, elementaq; cætera optimè esse ordinata, pro rerum quarumlibet gignendarum, aut abolendarum necessitate. Si spectabam uel aranei artificium, mirabar creatorem, qui tam aptè, ornatè, artificiose omnia condidisset: & maximè cum tam exactè uiderem omnia effícta, ut in rerum naturæ cõpositione nihil uel addere, uel demere posis, absque operis læsione: adeò ut dum in hac speculatione uersarer, clamarim: Magnus es, & admirabilis nimis, & magnitudinis tuæ non est finis. Rursum si contemplabar hominum inter se uitam, & societatẽ, fortunasq; eorũ, & sortẽ, uidebam tam sine ordine, tam sæpe iniquè distributa, ut non possem nõ credere cæcum quendam esse Dæmonem, qui his rebus gubernandis præsideret. Et, ut existimarem, fecit Christus in Euangelio: qui cum cœli terræq; esset rex, interim tamen se huius mundi regẽ esse negat: inquiens, Regnũ meum nõ est ex hoc mundo: & si ex hoc mundo esset, mei me adiuuarent. Et sæpe aliàs cũ Paulus, tũ Christus, Sathanã dicit esse regẽ, & tyrannũ mundi huius, & tenebrarũ harũ. Et in deserto uidemus Sathanã Christo promittere omnia regna mũdi huius, si se adoret.

Solus homo non seruat ordinem.

Ioan. 18

Matth. 4 Mar. 1 Lucæ 4

M. Te quæso Pasquille, ne uelis in ea esse hæresi, ut Christum neges esse mundi dominum.

Philip. 2. An non legisti in nomine Iesu flexura sese omnia genua cælestia, terrestria, inferna? P. Parum intelligis quid mundus in scripturis sonet. M. Quid aliud quàm hanc tam uastam machinam?

Mundus in scripturis. P. Multò aliud, Marfori. Mundum uocat scriptura ambitionem, auaritiam, luxuriam, & omnia studia improba, quæ non nisi carnem redolent. Adeo ut caro, mundus, sathanas, sint tres illæ furiæ, quæ suis facibus, atrisq; serpentibus omnia misceant, & conturbent. M. Quid audio? Ergo multi hodie crassi monachi, seu fratres mundum fugientes, ut opinantur, ipsum in

Monasteria mundus ipse. monasterium secum portant. P. Rectè. Non putarim usquam efficacius conspici mundum, quàm in monasterijs: ubi quid quæso, aliud uideas, quàm affectuum omnium, & perturbationum lernam, quibus se mutuò aut deprimere, aut euehere contendunt? M. Cogor fateri: tu uerò institutum prosequere. P. Itaque, Marfori, cum huius dei, qui res humanas tam cæcè administrat, non possem naturam cognoscere, uolui ipsum ex suis præfectis & administris æstimare. Nam uidetur ille nescio per quos semideos ista

Semidei. administrare. M. Quos hic mihi uocas semideos?

deos? P. Quos uulgò sanctos appellant. M. Caue, obsecro, ne quid irreligiosè, aut temerè de sanctis dicas, aut sentias: non enim ignoras quàm sit recepta apud omnes de his opinio. P. Absit, ut in deorum amicos iniuriosus sim. Nihil hic, nisi uerum dicam: tantum abest ut impium quidquam referam, nisi quis omnino contendat impiam esse ueritatem. M. Audio esse qui hoc iamdiu contendur. P. Nihil me moratur eorum tyrannis: scio ueritatem non posse non esse ueritatem. M. Sed iam redi ad propositum: nam uidebaris moliri argumentum à minori ad maius, aut potius, ut intelligas, à delegato ad ordinarium. P. Audio egregij canonistæ uerba. Tamen ut tibi satisfaciam Marfori: ego postquam nullo modo ex hac mea dubitatione me possem extricare, dicebam apud me: Vide quæso Pasquille, quid apud hosce sanctos, quos totus iam colit mundus, sit sancti, aut boni aut æqui, quando isti orbem terrarum administrandum suscepisse uidentur. Qui si, quod re uera sunt, aut esse dicuntur, aut olim fuerunt uiui, feceruntq́; nunc sint, aut faciant: iam habebis quo ordinem rerum sic administratarum referas: sin minus, erit causa cur multum addubites. Et de repente uenit in mentem ut contentione quadam & comparatione facta, inquirerem in mores sanctorum cum

Veritas semper ueritas.

erant uiui, & expenderem cum eorundem moribus iam mortuorum: inde sperans me, hac ratione, iam intelligere, an sancti illi olim iam dormientes, sint ijdem cum ijs, qui in cælo dicuntur regnare, & cum Christo omnia administrare: an dispares, uel etiámnum ijdem, sed in aliam peiorem naturam, aliosq; mores abierint. M. *Quæ fuit hæc arrogantia? Tuténe sanctorum iudicem constituis?* P. *Non hoc, mi Marfori: absit ut deos, uel deorum amicos, qui amplius peccare non possunt, aut ullis mundanis affectibus teneri, in ius uocem: solùm uolebam (ut prædixi) disquirere, num ipsi sic administrarent, an alij: sed sub eorum nomine, ut hic nihil haberes sancti, præter nomen.* M. *Quid audio? Putásne tu ab alijs sanctorum nomina usurpari: & sic passim sub pulchro titulo hominibus imponi?*

P. *Quasi nunquam audieris sub forma Angeli lucis, diabolum omnes suas technas struere, omnes errores inducere. Nam si, qualis est ille, talem se offerret hominibus, quis est qui ei crediturus esset? An nescis fucum & hypocrisin, diaboli esse rhetoricam & colores, quibus quiduis persuadeat? Et hodie uide nostros monachos. Putás'ne mundo tot nugas persuasuros fuisse, nisi hanc artem à dæmone didicissent?* M. *Ergo ista*

Diaboli Rhetorica.

Monachatus diaboli inuentum.

ista cuculla coloresq; tam uarij sunt dæmonis inuenta? P. *Credo. Nam si ipsi, quod dici uolunt, essent, quid opus esset his laruis, quas dicunt significare quales deberent esse? Iam facilè est argumentari, quamdiu umbra & significatio rei est, tandiu rem nō esse. Nam si res est, quid opus est suspenso uelo? cur non rescinditur?* M. *Ergo, audio istos alios esse, & alios præ se ferre?*

P. *Hoc tibi ex Euangelio poterat esse notum, ubi lupi ut sine suspicione deglubant, uestimenta ouium sibi accomodant. Quis enim unquam audiuit ab ouicula ouiculam deuorari?* M. *Mira narras Pasquille, & meis auribus insueta: qui tot annos in Iure canonico, & subtilitatibus Ioannis de Gamba rotta uersatus sim, quæ nescio quid habeant à communi iudicio & sensu. Nunc demū explica quomodo comparationem feceris: nam olim apud Philosophos legi, exactam esse ad inquirendum uiam, similia ex dissimilibus cognoscere, & contrariorum contrarias esse proprietates, & puto hoc esse, quod nostri logici solent dicere, opposita iuxta se posita, magis elucescūt.*

P. *Rectè sentis. Et ut iam ad rem aggrediar, accipe tu ex sanctorum catalogo quencunq; uelis: uel si lubet, diuam uirginem, quæ primas tenet, & reputa cum qualibus illa fuerit olim, &*

quibus hodie post suam ἀποθέωσιν sit moribus: iurabis Pasquillum *non ab re dubitare, an ista, quæ ubique altaribus insidet, sit eadem cum illa, quæ olim fuit mater* Domini. M. *Fac tu comparationem* Pasquille: *nam habes iudicium exercitatius. Adhæc & ipsæ comparationes nobis canonistis putantur odiosæ.* P. *Faciam, quando ita lubet. Sed sine ut te paulisper interrogem, nam sic res erit apertior. Qualem putas olim fuisse matrem* Domini? M. *Si scripturæ credimus, fuit uirgo castissimis, & inculpatissimis moribus, omnium mortalium modestissima.* P.

Virgo Maria

Et quòd docta literisq; diuinis erudita fuerit: in pauperes, si habebat, larga, non auara, non lucri cupida, non thesauris inhians, non deuorans precia canum, non gaudens diadematibus, & uersicoloribus uestimentis. Non ne? M. *Maximè. Sed quid hic uocas precium canis?* P. *Quod hodie ex impijs precibus, si successum habeant, illi uouetur. uetuit enim* Deus *sibi aut meretricium quæstum, aut canis precium offerri. Iam, qui aliud præter unum deum colunt, qui se sanctis, aut eorum simulacris prostituunt, cultumq; exhibent religionis, maximæ scortationis in religione condemnantur. Canis uero immundum, atq; inuerecundum animal est. Vnde Cynici, qui*

Canis preciũ

uerecundiæ

uerecundiæ bellum indixerant, & canino more uictitabant, appellati. Est igitur canis precium, et scorti uectigal, id totum quod sanctis mortuis, qui nunc cum Christo uiuunt, offertur, aut sacrificulis datur, aut in templis religionis causa, appenditur. Summa, quicquid cultus religiosi, alij quàm Deo & Christo exhibetur, et impenditur, scorti, canisq; precium est. M. Intelligo. P. *Ergo iam habes qualis illa fuerit olim. Nunc dicito, quid tibi uideatur de ista quam hodie multa cera, multo auro & argento, multis monilibus, multisq; fumis totus orbis onerat?* M. Hæreo.

P. *Miror quòd in re tam aperta.* M. *Ne mirere: nam concepta iamdudum me religio excæcauit, ut si uelim, in hac re iudicare non possim, neq; etiam audeam. Nam scis quanti referat, natum esse, & educatũ in aliqua religione: & plus sæpe ualet educatio, quàm natura, ut uidere est in Ianizeris, & Turcæ libertis. Postremò timeo, ne si quid in illius maiestatem dicam, illa se subitò de me uindicet:* P. *Sed tu cum hac opinione omnino non esse eandem definis.* M. *Nimis Socraticè mecum disputas: non satis hoc intelligo.* P. *Audi, hoc primò necessum est mihi concedas, omnes sanctos ad exemplar patris, & Christi debere esse conformatos.* M. *Nunquam negarim.*

Præiudiciũ opinionis cõceptæ.

Sanctorũ exemplar Christus.

P.

P. Pater uindictæ cupidus non est: nam uides ut iubeat suum solē oriri tam super malos quàm super bonos. M. O bonitatem? P. Præterea Christus pro peccatoribus mortuus est, à quibus potius debebat sumere pœnas, & pro eis orauit qui ei mortem inferebant. Adhæc, habes illius tam misericordē sententiam iureiurando confirmatam, cum inquit: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. M. O uerè humilem, & mitem corde? P. Rectè ista adfers. Concedes etiam nobis, Christum suos iussisse, ut discerent ab sese mites esse, et humiles corde. M. Fateor. P. Qui fit ergo ut sanctos uelut quosdā immanes tyrannos, & uindictæ appetentissimos metuas? M. Quia uideo in plerisq; locis sæua admodū exempla per eos edita. P. Si uiui fuissent, credis idē fuisse facturos? M. Nihil minus. Nam si ueræ sunt eorū historiæ, audio homines ad miraculum usq; patientes fuisse. P. Quid ergo tibi uenit in mentē, ut istos sanctos, et illos, unos crederes & eosdē? M. Miracula me cogebant. P. Nescis Antichristū totum mundū miraculis horrendis esse peruersurū? M. Audiui aliquoties: sed istum adhuc expectamus cū Iudæorū Messia uenturū. P. Quid si iam esset, uel les'ne examinare hæc miracula? M. Qui possum scire

Matth. 11

Sanctorū sæuitia.

Miracula.

scire an iam sit? P. *Ex signis, sicut docuit Christus. Et sanè uates dant unum manifestum, cum sederit, inquiunt, sceleslus ille in templo dei.* M. *Quid sibi hoc uult?* P. *Non aliud quàm quòd cùm uideris in templo dei, ubi ipse solus so let coli et adorari, alios ibi coli deos & adorari, iam illud esse Antichristi tempus, & defectionis. Quid enim magis cõtra Christũ esse potest, quàm Christum è suo templo expelli, & in eius locum alios surrogari, quibus miracula & cætera omnia attribuantur? Et quid te tam superstitiose ur gent miracula? Nescis ubi illa sunt frequẽtia, sum mæ perfidiæ esse signa? Et ferè hæc signa peritu rarũ Rerumpublicarum sunt prognostica. Nam isti dij cum uident Altißimum ob peruersam reli gionem iratum, Rempublicam funditus uelle euertere, ipsi gentem, ne resipiscat, miraculis retinent ac dementant: nam eò plerunq;, quasi ad sa cram anchoram, confugiunt. Et, ut scias, olim etiam sic fecerunt Baalim in ueteri testamento: qui, quò plus Dominus ob eorum cultum irascebatur per prophetas, eò plura illi miracula faciebant: & plus compertum est ea tempestate ualuisse miracula Baalim, quàm uerba Domini, adeò ut usque ad captiuitatem Babylonis, timore & religione miraculorum Iudæi à cultu Baalim nequi-*

Anti christi signa.

Miracula perfidiæ signa.

nequiuerint deflecti: imò suas miserias aliquando ascribunt ei, quòd Deorum cultũ reliquerunt. Nã
Hiere. 44. *habetur apud Ieremiam, Postcaquam desijmus adorare reginam cœli, omnia hæc mala uenerunt super nos. Solum nocent ijs, qui eis credunt: at in illos, qui talem religionem contemnunt, nihil possunt: nam aliàs, totam iamdudũ Germaniam atq; Heluetiam deleuissent, quæ ferè deos istos abiecit eorumq; precia in meliorem usum conuertit.* M. *Sed quia, ô Pasquille, iam Antichristum regnare dicis, potes'ne mihi significare qui nam is sit?* P. *Possum, si quidem & potes, & uis audire.* M. *Possum certè, & id sitienter aueo.* P. *Anti-*
Antichristus quis. *christus est ab effectu nomen inditum, quòd sit hostis Christi. At nomen regni (quo tanquam fausto, paternóque nomine, infaustum Antichristi nomen tegit, ut sibi oues Christi uorare, & prodere liceat impunius) ô Marfori, noui testamenti propheta numerum hominis appellat.* M. *Nunc minus intelligo quàm prius.* P. *Non legisti in Apocalypsi de charactere, & nomine be-*
Apoc. 17. *stiæ, & numero hominis?* M. *Audiui aliquando quosdam super eo loco contendentes: & de meretrice quadam purpurata, atque ebria de sanguine sanctorum, quam appellabant magnam, et dicebant illam habere calicem aureum in manu,*

plenum

plenum nescio qua abominatione & libidine sua. Et si recte memini, Babylonem etiam illam uocabant, matrem magnam scortationum terrae. Sed quia non audiui principium disputationis, nō potui quae nam illa esset meretrix, intelligere. P. *Omnia ista, quae retulisti, ad Antichristū & eius regnum spectant, quae clare intelliges, ubi nomē, quo sese orbi uēditat scelestus ille, explicaro. Sed tu hoc age, & collige.* M. *Hic sum totus.* P. *Character eius nominis est, P A: numerus est, P P A A: nomen uerò, unaquauis in medium transposita litera, conflatur. Numerus enim hominis (ut Pytagoreis placet) binarius est. Quae res indicat, haud dubiè in nomine binas tantum literas contineri, ut in numero uidisti. Et si enim utraq; litera bis formata est, non sunt tamen plus quàm binae literarum notae, binaeq; syllabae. Tenes'ne? an nondum etiam?* M. *Teneo probè: nam istud nomen, & ij characteres frequenter occurrunt mihi in iure canonico. Verùm, ne nimis altum sapias uide, mi Pasquille, oportebat te magis simpliciter credere, sicut ego facio: sic à magni nominis monacho edoctus.* P. *Quid uocas simpliciter credere?* M. *Hoc nimirum, non multum se fatigare cū rebus sacris, & permittere magnis Theologis omnia.* P. *Sed sic ignoranter, magis quàm simpli-*

Locus Apocalypsis explicatus.

PAPA

Monachi doctrina.

simpliciter credebas. excidit tibi illud Euangelicum, Scrutamini scripturas? Si sic credis Marfori, erras toto cælo, quod aiunt: non hæc simplicitas est, sed stulta potius credulitas. M. *Credebam simplicitatem, & ignorantiam unam esse & eandem.* P. *Hallucinaris Marfori, magna est differentia. Hoc te scire oportet, simplicitatem non esse ignorantiam, sed candorem quendam, & syncentatem animi, cui opposita est duplicitas & simulatio. Itaque si noueris quid sit esse duplici animo, scies quid sit esse simplici animo. Videtur enim contrariorum logicis esse disciplina eadem.* M. *Mihi satis notum est, quid sit esse duplici animo: nam iste casus mihi frequenter occurrit. At ista, quam dicis, simplicitas, hactenus mihi parum est cognita.* P. *Credo, nam uos canonistæ non poteratis simul subtiles, & simplices esse. Vtinam uerò uestra subtilitas in simplicitatem uertatur: non tot erunt apud uos fraudes, & (ut dicitis) cautelæ, & litium remoræ: in summa, nihil de Iure stricto, & largo disputabitur, sed solum æquum & bonum apud uos, & charitas regnabunt.* M. *Quid est ergo simplicitas?* P. *Simplicitas est uirtus qua qui præditus est, illud ipsum quod est apud omnes, factis ipsis profitetur. non est hypocrita, sed in omnibus*

Ioan.5.

Simplicitas.

rebus

rebus et negotijs maximo cãdore, maximaq; syn ceritate uersatur. Deinde eiusmodi est, ut ei tuto omnia credere poßis: sicuti enim syncerus est, ita syncerè tecũ agit: Simili modo in rerũ notitia, ex perientiaq; uersatur. Vult enim de omnibus re bus synceram, & exactã cognitionẽ, non uero fu cis, & hypocrisi personatam, habere. M. *Si ista uera sunt, erit necessum, ut homo simplex; sit sum ma bonitate, & summa doctrina, summoq; iudi cio præditus: nam istis ad rerum inquisitionem exactam & scripturarum, ut nos dicimus, scruti nium, in primis opus est.* P. *Rectè iudicas.* M. *Ergo hodie multi dicuntur simplices sine simpli citate.* P. *Fateor Marfori: hodie inter Christia nos rara est admodum uirtus. Simplices fuerunt olim ueri sancti, quibus nunquam defuit quod re sponderent iudicibus, nimirum cum simpliciter crederent. Simpliciter uero credere nemo potest, nisi qui cõstantißimè credat: nam habet hæc sim plicitas semper adiunctam firmißimam animi cõ stantiam: Nam illis murus est æneus:* Credere simpliciter, quid

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Et qui tales sunt, nullas personas, nullas laruas si bi accõmodant: nam quales sunt, eiusmodi apud omnes uideri uolunt. Persona uero, & larua num quam sine fallaciæ & fraudis suspicione accom-

 modatur.

modatur. Et quid putas aliud esse cũ dicitur, Estote simplices sicut columbæ, quàm eam synceritatem, quæ Christianũ decet, uultu, moribus, habitu, cõsuetudine referre? sicuti faciunt columbæ, quæ nõ, uulpium instar, aliud fingunt, aliud faciunt, sed natiuum candorẽ, & mansuetudinẽ tota uita præ se ferunt? M. *Ergo nulli monachi sunt simplices?* P. *Tuo iudicio omnes, meo nulli.*

M. *Certe Pasquille, ego hactenus semper credidi debere nos simplices, hoc est tardos, caudices, stipites, asinos, plumbeos esse.* P. *Sic censuerunt, quos horum sæculorum stultitia, atque ignorantia pingues & uenerabiles fecit. At ego tibi dico, Christianum oportere esse prudentissimum, doctissimumq́;, & in sua lege exercitatissimum. Nam sic fiet, ut nullis argumentis conuelli possit: si quidem technas aduersariorum omnes, & ueritatem tenuerit. Sin harum rerum ignarus omnino fuerit, iam patebit omnium hæresibus et insidijs. Nam cũ ignorantia omnia admittat, & iudicio careat, unis ulnis & uerũ & falsum arripit, nihil unquã distinguẽs. Et hæc est ratio, cur hodie inter christianos tot sint hæreses et sectæ: quòd illis, ut ignaris ab astutis nebulonibus impositũ sit: & maximè si titulo religionis imposituræ fuerint palliatæ. Sic factũ est, ut isti hunc sequantur,*

Ignorãtia hæreseon mater

sequantur, alij alium. Nemo uero est, qui Christũ aut illius regulam sequatur, quæ, omissis tot nugarum, & superstitiosorum mendaciorum millibus, solum amorem dei, & charitatem proximi amplecti iubet. Quis uero est inter Iudæos, aut Turcas tam alienus à mente, qui Christianis coniugatur, in tot sectas diuisis? Et tamen hodie omnes cum his titulis uolunt spirituales uideri: cum Paulus, in 1. ad Corinthios, apertè contrà clamitet, cum inquit: Si unusquisque uestrum dicat, Ego Pauli, alter uerò, ego sum Cephæ, alius, ego sum Apollo, nunquid non carnales estis? An Christus diuisus est? M. Agnosco errorem. Tu deinceps mihi eris pro Grattano Pasquille, próque Panormitano. Sanè debebas ista in triuijs declamitare. P. Id me non puderet, nisi timerem decretum pontificis illius Flandri reuocatum iri. M. Forte Adrianum dicis. P. Male loqueris germanicè, Atrianus (ut in eius Epitaphio uidi) dicendum est. M. Sed quis audet istud reuocare? P. Nescio, Audio cardinalem Teatinum nuper in sacrosancto concilio multum asperè contra me declamitasse. M. Qua ratione? P. Quòd fuissem ausus eum uocare hypocritam. Verum quando rem ipsam expendo penitius, agat ille quod uolet: parui mea refert, post-

Scandalum Iudæis & Turcis.

Adrianus Atrianus.

Car. Teatinus.

quam iam immortalis è superis redeo. M. *Sed iam tandem accede ad caussam huius tuæ in cœlum peregrinationis.* P. *Iam dixi, hanc scilicet, quòd cum uiderem sanctos istos, cum sanctis illis, qui olim fuerunt, esse tam disparibus moribus, uolui ad cœlum ascendere, & uidere num aliam in naturam illic essent mutati.* Haud enim *uidebatur mihi uerisimile hanc sanctam* Mariam, *quam tam superbo, & fucis illito uultu uides ornatam, diademate, & torquibus, annulísque Isidis, aut Iunonis, aut* Dianæ *Ephesiæ instar, esse eandem cũ illa uera* Domini matre. Ad *hæc, magis meam opinionem confirmabat, quòd hanc uiderem auarissimam, pecuniæ studiosissimam, & mordicus omnia detinere: non aliter ac olim suam aulam* Euclio *ille* Plautinus. *Præterea, animaduertebam, si quid distribueret, hoc facere iniquissime. Vt persæpe mecũ dicerẽ: si hæc est reuera mater* Domini, *cur nõ miseretur sui gnati dulcissimi, qui quotidie in tẽplo ante ipsam stipẽ postulat?* M. *Quid ais? eget'ne Christus?* P. *Maxime in pauperibus qui eius personã gerũt. Quicquid enim uni ex istis feceritis, inquit, mihi fecistis. Illi uero si ad rauim usq; teruncioliũ precentur, illa immoto stat uultu, nec mouetur magis,*

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Mater domini pro Diana

Pauperes personã Christi gerunt.

Et

Et neglecto tam charo filio, neq; expensa eius ne cessitate, in crassos potius, & adipatos patres, meretrices, canes, equos, Ganymedes, omnia ero gat. Istud uerò putabam quàm longissimè semper abfuisse à tali uirgine, quæ nihil æquè odio haberet, atq; hanc hominum fæcem. Sciebam præterea ueros sanctos, sub tam diuite Deo, bonis no stris non egere, neq; pecunijs, aut ambitioni, aut gloriæ inhiare: multo minus preciosa hic templa, cum preciosis thesauris, à Turcis & Gotthis tan dem diripiendis, ambire. Quæ omnia putabam uanorum potius hominum, quàm sanctorum esse uota: qui se non reges, aut reginas cœli fecissent, sed ancillas Domini, & ministros Dei: suaq; palatia, suosq; thesauros in cœlū condidissent, ubi non esset periculum à Turcis, aut tineis: qui thesauri non auro aut argento constant, sed iustitia, pace, et gaudio in spiritu sancto. Ex ijs enim Paulus ille bonus architectus, regnum Dei fabricatus est. Et cum tam fortia haberem argumenta, omnesq; urgerent ut eosdem esse crederem, uolui in cœlum conscendere, ut saltem quid esset ueri aliquando perdiscerem: & hæc sola fuit mihi causa in cœlum peregrinandi. M. Miror antè, hoc neminem tentasse. P. Omnes retraxit stulta quædam credulitas, & rerum sacrarum incuria, quas Omen.

induxit persuasa quædam religio, quæ cunctos hactenus, nescio quomodo fascinauit. Si occurrebat latrator Cerberus, illi statim in fauces medicata inijciebatur offa, ut desineret illico curiosus esse. M. Dixisti causam itineris: nunc & iter nobis pande, & qua contenderis in cœlum uia refer. Præterea, quid ibi uideris: nam oportet ibi res esse multum à rebus nostris, et etiam à nostra opinione diuersas. P. Nihil celabo, omnia intelliges: modo animo sis præsenti. M. Expecto historiam. P. Cum diu mecum disquisiuissem aliquam in cœlum uiam, nunquam hanc inuenire potui: quãuis de Protheo, de Icaromenippo multa audiuißem, qui eò dicebantur contendisse: sed qua uia, silebatur. Statui interim consulere aliquem ex istis genijs, qui quotidie ascendunt, & descendunt, qui dicebant nõ esse uiam aliam, nisi mortem. Cum hoc non placeret (nam est uita omnibus chara) forte fortuna inueni aliam oportunitatem. M. Quæ fuit illa? P. Vt scilicet diuino quodam furore correptus, omnia ista cognoscerem. M. Quantũ audio, referemus te inter Ecstaticos. P. Vt libet, non multum moror hosce titulos, siue Pasquillum dicas Ecstaticum, siue Cherubicum, siue etiam Certanicum, hem tußiebam, Seraphicum debebam dicere. M. Sed quis

Fascinum religionis.

Ceretani Italice, qui circulatores.

quis te hanc practicam edocuit? oportet enim illum esse necromanticum. P. *Tace, à sanctis patribus inuenta est. An nescis quendam Hilarionem abbatem, de quo in uitis patrum, in camera, erectū in pedes, astitisse iudicio Dei, & respondisse in utranq; partem, seu (ut isti dicunt) pro & contra?* M. *Hoc uerò nusquam legi.* P. *Nondum legisti librum cui titulus est? Memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis?* M. *Iste titulus non sapit Ius canonicum. Tu uero perge dicere à qua Sibylla fueris institutus.* P. *Dicam. Nuper uocatus ad cœnobium Carthusianorum, à quodam fratre, qui incipiebat melius sapere, ut fit, dum nihil tale quæro, hanc inueni.* M. *Quid tibi cōmune cum hoc cucullato?* P. *Obsecrabat me, ut in satyris meis, quas me sciebat habere sub incude, morderē suum priorem.* M. *Quid admiserat satyra dignū?* P. *Nescio quid, afferebat quasdam nugas sophisticas, non satis à me intellectas.* M. *Non meministi.* P. *Conquerebatur quòd plus laudaret posteriora Aristotelis, quàm priora: & cum in ea esset hæresi, semper inductionibus, nunquam demonstrationibus uteretur.* M. *Miror cur ille sic insaniret.* P. *Non satis scio, nisi quòd demonstrationes ideo relinqueret, quòd ex naturæ principijs sumerentur.* M. *Intelligo quid uelis: perge ad reli-* Contra legem Scatiniam.

tripodis. P. *Rectè. Demũ requirebatur, ut esset indutus cucullo alterius ecstatici, stolãq́;, quã uocant, haberet in modũ crucis decussatim pectori applicatã: collo uerò oportebat appẽsum esse euangeliũ diui Iohannis, In principio erat uerbũ: cõclaue suffumigãdũ erat precioso thymiamate et lampas accẽdenda ex oleo sancto. Adhæc circulus ex duabus lineis, altera rubra, altera alba, totã stoream ambiret. In spatio uerò, quod inter duas erat lineas, scribenda erãt ista † Pater † Filius † Spiritus sanctus † nox uisionis † nox reuelationis † nox ueritatis †. Et sic instructus monebatur somnũ inire, prælecto tamen prius quodã carmine.* M. *Quid cõtinebat carmen?* P. *Adiurabat omnes spiritus, qui eiusmodi uisis præsunt, ut in hac apocalypsi adesse uellem & certa demonstrare.* M. *Quibus ille eos nominibus uocabat?* P. *Hebraicis: nã illi putãt hosce genios aliã linguam non intelligere.* M. *Haud ingeniosos mihi genios narras.* P. *Quales sint non magnifacio, mihi satis erat, illos ad hoc munus destinatos scire.* M. *Ergo & tu hac arte usus es, Pasquille?* P. *Quid ni? usus sum, et omnẽ euentũ expertus.* M. *O si quis te uidisset habitu? poterat Pasquillũ de Pasquillo facere.* P. *Tace Marfori, rides quæ non intelligis: ubi audieris fabulã, aliter senties:*

Exorcismus

sentiens: & ut similia uideas, cupies non solum cucullatus, sed & pissoccoratus & cappucinatus esse. M. *Sed unum te rogabo, cuius penè iam eram oblitus: si isti tot uisis scatent cur tot superstitionibus, tātisq; mēdacijs (ut soles dicere) adhuc inuoluūtur? cur nulli minus uerā pietatem norunt? cur hanc non discunt?* P. *Quia ueritatem nō postulant (quæ nō incantamētis huiusmodi, sed constāti precatione, et lectione perdiscitur) sed alias nugas, quæ interim cōtra pietatem sunt.* M. *Refer quæso aliquā istarū nugarū.* P. *Exempli gratia: Cupiunt doceri quis huic sit suffuratus pecuniā, et isti negotio est præfectus angelus Colamiachel, qui se in forma furis sistit: quamuis D. Antonius Parauinus furti præses esse dicatur. unde Franciscani, qui huic negotiationi præsunt, magnū quæstū faciunt.* M. *O impurorum hominū audaciam.* P. *Præterea cupiūt sibi ostendi an uxor diligat maritum, an amica procum, et cynædus suum uetulum patrem: cui rei non angelus præsidet, sed D. Helena Constātini mater. Illa, si amor reciprocus est, offert se cū aliquot pulchris nymphis, & instructa lauta cœna cū monacho ieiuno epulatur. Sin fictus sit amor, & simulatus, illa gladio, ignè, & uarijs imaginibus ludit, & territat miseros. Et iam in aprum, iam in ursum,*

D. Antonius Parauinus.

S. Helena.

ursum, postremo in asinum uersa magno strepitu abscedens ostendit eos porcos, ursos, & asinos Arcadicos *esse.* M. *O miseram Helen..m.* Est ne *hoc crucis inuentæ præmium, ut hominum amores, & nugas cogatur inquirere? sed satis est exemplorum, intelligo omnium rerum corruptelas. Quare tu iam tandem uiam ingredere.* P. *Iis*

Pasquilli secessus. *omnibus diligenter obseruatis, accedo ad quendã ueterem specum, hic propè colosseum mihi soli notum, quò soleo secedere aliquid subtilius meditaturus. Est ibi locus testudinato opere fabrefactus, interraso marmore, uermiculatisq; ad effigies rerum, & animalium crustis, reliqua omnia magnifica, splendida, ut nihil requiras, nisi solem immitti.* Hic *mente defixus, magna cogitare inci-*

Pasquilli excessus. *pio, inuadit illicò somnus grauißimus, sicut in lethargicis, & ueternosis solet: & iam mihi cœlũ cum terra confundi, & ad antiquum chaos omnia redire uidebantur. Adimebatur mihi omnis memoria, sic, ut neque* Pasquillum *me esse meminissem.* Dixisses *bibisse opium. Dum sic mihi rotatur cerebrum, uideo aduolantem ingentem globum igneum multis scintillis stridentem.* Vbi *propè me constitit, explicuit sese, flamma lingulatim*

Pasquilli Genius. *scintillante, ea forma qua sol à pictoribus pingi solet.* In *medio eius erat uir ueste candida indutus,*

tus, qui me comiter salutato, rogauit quid uellem. Vbi ego partim nouitate rei commotus, partim timore, & tremore sobrius factus, uix tandem respondi. M. Quid respondisti quæso? P. Ego totus horrens & tremens, rogo: quis es domine? qui respondit se esse Hierusatanaëlem uerorum, sanctorumq; ducem uisorum. Si quid uellem iubebat proferrem? Ibi ego balbutiens refero illi omnẽ historiam, & quæ res mouisset me ad hunc conatum, deprecans interim ueniam meæ temeritatis, qui mortalis immortalem compellarem, affirmãs rem hanc toti orbi esse necessariam, ut Pasquillus ueritatis cupidißimus, & ipse in cœlum raperetur: Placuit ei mea oratio: quæ res non parum mihi animi adiecit: nam uisus est statim admodum liberali facie. Rogat uerò quodnam cœlum lustrare cuperem? cui respondeo, quod aliud quàm empyreum illud, & diuinis ignibus plenum? At ille: Duo, inquit, sunt iam hodie cœli, unum æternũ, ad quod Christus è terris ascendit, paraturus cunctis fidelibus, in illum diem, locum, è quo & ille ad iudicium comitantibus angelis ueniet: aliud, quod per manus hominum, pontificumq; malefcriatorum postea exædificatum est. Quod cum intellexissem, mira sum uoluptate perfusus, quod ex hac re magna ueritatis inueniendæ esset oblata

Petitio.

Cœli duo.

lata occasio: cœpi rogare, ut si fieri posset, uiderem utrumq;. Annuit ille, atque illico flamma,
Currus igneus. *quæ illum ambiebat in formam currus illius ignei quo dicitur auectus esse Helias, sese explicat: in quem primum insilit Genius, & monet, ut suo me lateri adiungam. Vbi conscendissemus, incœpimus uehi per aëra, quousque ad globum lunæ esset uentum, ubi uehiculorum est statio. Mutato ibi curru, dux meus lora uertit ad Septentriones quàm longißimè à sole. Cui ego: quò nam ferimur domine? ad cœlum pontificium, inquit, quod in hac plaga est: scis enim cœlum domini esse ad orientem meridionalem, quæ est pars altißima, sicut*
Proportio utriusque cœli. *ista infima. Habet se enim hæc plaga ad orientem meridionalem, sicut terra uestra ad antipodum regionem. Dum uero sic loquimur, uideo procul maximā quandam ciuitatem, dixisses Venetias,*
Cœli papistici descriptio. *Constantinopolim, Romam, Cayrum, seu Babylonem cum Lutetia coniunctas. Forma uero erat labyrinthea, quæ tortuosè ascendens, nouas regiones sensim ostentaret. Summū uero in maximam arcem desinebat, ut cū extra urbem esses, totam prospicere posses, et omnes regiones enumerare, sed neminem intus uidere, quòd altißimi muri sigillatim regiones ambientes, homines, ne intrò spectare possent, prohiberent. Mœnia uero erant*
multum

multum turrita, & in singulis turribus portæ uarijs anfractibus fabricatæ: ut nullus labyrinthus illas poßit æquare. Ex ijs innumeros Genios euolare, & reuolare uidi: nam hi soli istarum portarum tortuositatem norunt. M. Næ tu mihi columbarium potius, quàm cœlum depingis, Pasquille. Sed quæ negotia tractabant isti? P. Qui intrò inuolabant, onusti ueniebant. Pars supplices libellos, pars rosaria & coronas, pars ceram, pars aurum, argentum, signa, tabulas, anulos, monilia, & lapides preciosos ferebant. Qui euolabant, alij pacem, alij bellum, alij pluuias, alij fulmina, grandines, uentos, & alia efferebant, quæ stulti homines, aut amant, aut timent. M. Nihil ne pecuniarũ efferebatur? P. Non uidi. M. O auarißimũ cœlũ, ego putabam hoc cœlũ unam tantũ portã habere, cui præsideret Petrus. P. Vt intelligas, turrium portæ erant omnes eiusmodi, sed una erat ingens porta, per quã solis mortalib. erat acceßus. Ea erat rudi marmore constructa: in qua ementitæ, falsæq; Constãtini donationis argumentũ insculptũ uisebatur. Et prima illa Põtifică trophæa: tum quomodo paulatim reges et imperatores domuißet, pedũq; ad oscula beatorũ assuefecißent. In quibus illud mihi insolens uisum est, & plusquam barbaricum, quod ibi Pon. Romanus

Genii seu angeli.

Auaritia cœli papistici.

Donatio Constantini.

manus quidam caput procumbentis ante se Germanici imperatoris pede proterebat, & alia multa, quæ recensere nimis longum uideatur. Ad hāc portam cum iam emblemata satis essemus mirati, pulsat Genius fores, & ecce raucus quidam senex satis arroganter qui nam essem sciscitatur: respondet Genius me ciuem Romanum esse, qui sanctorum ciuitatem uidere cuperem: Rursum ille quod nam esset mihi nomen quærit: cui Genius Pasquillo mihi nomen esse dixit: ad quod dictum senex ille truci uultu prospectat num is essem, qui suo imperio tantopere obessem: atq; ubi me eum esse deprehendit, illico iussit abirem, illud addens: hoc cœlum nō patere momis, aut mimis. Illico me-
Apophthegma Pasquilli. *cum subridens dixi oportere hic multa esse ridicula, aut etiam flagitiosa, quandòquidem momos uitant. Aegrè autem cum ferrem tam indignam repulsam, id animaduertens dux meus bono esse animo iubet dicens: cuniculum se quendam nosse*
Lutherus. Zuuinglius. *ignotum ferè omnibus, quem M. Lutherus, & Vldricus Zuinglius, olim primi Pauli consilia sequuti, ad hoc cœlum euertendum cœperant, fixeramq; paululum intra limen parua uexilla bina, quorum in altero literis aureis inscriptum uidi: In silentio, & spe erit fortitudo uestra. In altero:*
Matth. 11 *Venite ad me oēs, qui laboratis, & onerati estis,*

&

& ego requiem uobis præstabo. Accessimus *igitur ad cuniculum istum, qui ingressum præbebat primum perangustum, atq; occultum, ut nemo suspicari quicquam ibi esse, posset.* Et ecce tibi, *fit nobis obuius barbatus quidam habitu germanico, in cuius manicis, & sago inscriptas uidimus literas hasce,* V. D. M. I. AE. *hoc est: uerbū* Do*mini manet in æternum.* Is *rogat, qui nam sim, dico me* Romanum *esse Pasquillum: subrisit illicò, deinde subiunxit neminem per eum aditum ire, qui non unum & idem cum eo sentiret: cui ego me dicturū ingenue quod sentirem respondi.* Vtrum *ex his duobus, inquit, Pasquille,* Chri*stum'ne, an pontificē esse caput ecclesiæ confiteris?* Vtrunq;, *inquam.* Ad *hæc ille, nunquid ecclesia sponsa uera et germana, inquit, biceps est?* Hic *ego: nihil erroris admisi, inquā: nam si Christum esse pontificē credimus, necesse pariter est admittere Christū, & pontificē esse caput ecclesiæ.* Ille *uero deprehensa argumenti fallacia, ô inquit face tum Pasquillum, qui tam bene sophistam agat, simulq; rogare ut liberè, quemadmodum promiseram, ea de re, & quæstione pronuntiarem.* An*nuo uiro tam liberali & strenuo: & dico me semper unicum, & solum* Christum, *non Papam, esse caput ecclesiæ illius ueræ, & cœlestis, credidisse.* Confessio Pasquilli.

Monstrosum penitus esse corpus unum bina habere capita, quod de Cerbero inferno legitur. Ecclesiam sanctam unũ caput, unũ sponsum, unũ pontificem Iesum Christum habere, quemadmodum & una est fides, unum baptisma, unus deus: qui ad hoc corpus & caput non pertinent, eos Diaboli esse membra, & Antichristi M. Quid ad haec ille? P. Me illicò complecti, exosculari, fratrem appellare, in cuniculum ultrò introducere, donec ad alios quosdam peruenissemus. M. Sed agnouisti'ne hunc, P. Agnoui, & ex alijs quoque nonnullos: Federicus iste Saxoniae dux, & princeps ille optimus, qui Euãgelio aduentanti fores patefecit. Hic erat cũ Zuinglio Io. ille Oecolãpadius, et Fabricius Capito, & alij Germani, tũ Heluetij propè innumerabiles. Galli etiam multi, non pauci Itali, aliquot uerò etiam Hispani. Inter gallos Lambertum uidi, & Iacobum Fabrum Stapulensem. Inter Italos Hieronymum Galatheũ Venetum qui undecim annos in teterrimo carcere Euangelij causa egit, ibiq; ex hac uita constantissime decessit. Vnum Hispanũ uidi equitem Caesaris nobilissimum, sed longe nobiliorem Christi. M. Quinam uocabatur? P. Ioannes Valdessius uir summa religione, fide, eruditione, qui Neapoli diẽ obijt suum, egregijs relictis ad hoc coelũ excidendum

Federicus Sax. dux. Oecolampadius. Fabr. cap.

Lambertus. Faber Stapul. Galatheus.

cidendum instrumentis. In hunc igitur cuniculū hi præibant, & comitabantur nos: qui cuniculus, quo magis intrabamus, in maiorem se amplitudinem dilatabat, uarijsq; anfractibus ita mœnia suffossa erant, ut exiguo impulsu ædificij totum, et machina dirui posse uideretur. M. Nemóne hoc istorum Monachorum, qui propè mœnia habitant istud deprehendebat? P. Nemo. nam fores tantū custodiūt, & turres, cætera securi. M. Miror, cū in alienis rebus tam sint perspicaces, oculati, suspitiosi: uerū, quantū intelligo, hoc regnū non est sine periculo. P. Hoc quidem uerum est, nam qui laborabāt mihi materiem fundamenti ostenderunt tam debilem, & infirmam ut mirari possis tantā molē posse tali fundamento consistere. M. Quæ nam erat illa materies? P. Cucullæ, rosaria, globuli preculares, detonsi crines, barbæ, uela uestalium, nodosi funes, zonæ scorteæ, calcei lignei. Adhæc pisces, oua, caseus, beluela, mitræ, pilei partim rubri, partim atri, caprinæ pelles, bullæ cereæ & plumbeæ candelæ, uarij libelli, & huiusmodi alia innumerabilia, im mixto oleo, atq; bōbice. Ex hoc fūdamēto quatuor extabāt muri, qui totā ciuitatē ambiebāt, et quatuor erāt portæ quarū prima dicebatur superstitio, secūda ignorātia, tertia hypocrisis, quarta

Huius cœli materies & fundamenta.

Muri quatuor.

superbia. Hæc igitur diuturna esse nō posse uides: nam & fundamenta ipsa iam scrobibus, & cuniculis penetrata sunt, & tota reliqua exædificatio nihil solidum, nihilq́; firmum habet. Quare nihil dubium, quin tota machina breui sit magna cum suorū clade ciuiū collapsura: præterea magna hic regnat auaritia, nec ferè quicquā amplius in ædificium collocatur, sed ad unum omnes quo iure, quáq́; iniuria pecunias cogunt & contrahūt, ut faciūt hi qui relictis sedibus aliò propediem sunt migraturi. M. *O miserum cœlum, quod tam cito periturum est: sed quid postea factum?* P. *Nos à nostro regio duce ducti sumus usq́; ad antrum quod ciuitatem spectabat, ita tortuosum, ut ne oculatissimo quidem suspicionem facere posset eius, quod iam diximus, incœpti. Vbi eò peruenimus, cœpi mecum cogitare: quid si te per hoc antrū ingressum agnoscat* Petrus, *qui iuret se tibi per suum hostium non concessisse ullum aditū? quid es responsurus? Et cū hic arroderem unguē, suspicatus quod res erat, dux meus quærit quid me torqueret? Ego totā rem narro.* Ille *iubet esse bono animo, addens oportere hic bene, & gnauiter impudentem esse, non secus ac illi sunt, qui in principū aulis uersantur: & sicut ibi deposita fronte, & reuerentia, ad mensas acceditur eorū, qui*

Huius cœli ruina.

Aulicorum impudentia.

qui principes uocantur: sic qui hoc cœlum lustraturi essent, & singula relaturi, oportere ad singulos choros accedere. Placuit consilium, firmatoq; animo tandē è nostra cauea erepsimus. M. *Gaudeo, ita me* Deus *amet, Pasquille frater, te tā cōmodum introitum inuenisse. Sed sunt'ne hic omnes illi sancti?* P. *Sunt hic omnes nominatim: sed uultus & mores parū conueniunt.* M. *Quî fit?* P. *Nescio, nisi quantum ex genio intellexi, sancti sunt personati, & qui sanctitatis prætextu belle imponunt mortalib. & si ex loco rem metiri licet, locus iste mercatus potius quidam, & curia, quàm cœlū uidebatur.* Erant *enim diuersæ regiones, & uici, ubi uaria erat nundinatio, ut solet in magnis urbib. puta* Lutetiæ, *aut* Venetijs.

M. *Iam tandē describe nobis urbē, & studia incolarū, nihil enim æquè desidero.* P. *Vbi per cuniculū intrassemus, in primo gyro erat regio, seu (ut appellant) chorus sanctorū* Monachorū, *& eremitarum, infimas ciuitatis partes occupans.* Chorus monachorum, & eremitarum.

M. *Oportet te uidisse hic multos uenerādos patres.* P. *Tu tecū hoc cogita: nam hic erant omnes mente capti, quid dico? Mentigantes, nec sic quidē uolo, Mentientes, heus tandē Mendicantes, Augustiniani, Carnalitæ, Dæmonicani, Frandiscani, & alij omnes, puta Ceruitæ, Benebibini, Ca*

prusiani, & huiusmodi sexcenti. M. Vidi-
S.Franciscus. stin' diuum Franciscum? P. Eum uidi inter su
os, ubi inter cætera tractabatur de quodam cœno
bio in suum honorem ædificando. M. Quis il
li hoc struere cogitabat? P. Quædam matro-
Historia bella. na in Appulia: quæ quia maritũ suũ non amabat,
aut aliũ magis quàm maritũ amabat, cœpit ter-
tiam regulam diui Francisci obseruare, ut liberi-
or esset à iure, lege, officioq; connubij. Cum uero
ex instituti decreto cogeretur ex fratribus diui
Francisci iuuenem quendam patrem adoptare,
adoptauit, habuit, amauit pro suo, à quo tã bene,
& laute est accepta, ut bonæ fœminæ animus et
crumena ad religionem inclinarent. M. Intel-
ligo. Ego enim cum studerem Bononiæ audiui
filiũ eiusmodi adoptati fraterculi, ueri filij patri-
moniũ totũ deuorasse: cumq; matrona appellas-
et ad Bentiuolum, qui ibi tum principem age-
bat, magno fuisse risu exceptam. Quid postea in
caussa actum fuerit, nescio. P. Vtinam mi Mar
fori mihi semel liceat aperire, quid faciãt Beghi-
næ, seu pissoccoratæ istæ meretriculæ. M. Alias
Dominicus. rideamus uolo, sed cedo, uidistin' Dominicum, Ber
nardum, Benedictum, Claram, & eius æqualem
Brigidam? P. Dominicum uidi ad tornum se-
dentem, & noua rosaria, nouosq; globulos diuæ
uirgini

uirgini conficientem. Bernardus dicebatur multum impeditus cũ suis montibus, & uallibus. Nã cum de eo interrogarem ubi nam esset, alij ad claram uallem, a'ij ad umbrosam uallem, alij aureã uallem, alij ad sui nominis montem profectum esse dicebant, quidam uero nescio quò ad lac uirginis conscendisse. M. *Quid audio? est'ne tot rebus impeditus bonus uir?* P. *Ita aiebant. Sed quod omniũ maximè timebatur erat, ne* Heluetia *tota tandem facta euangelica Diabolũ in suo illo monte ligatum solueret, in tartaraq; detruderet, ne amplius regionem illam suo fœtore compleret.* B

M. *Videtur esse legitima timendi causa.* P. *Est. Sed ut ad reliquos accedam, de quibus quærebas, uidi Benedictum suos monentem, ut si nou castè possent, saltem cautè agerent. Clara uero, & Brigida pontificem quendam rogabant, ut fœminarum collegia, & monasteria dissolueret, & unamquanq; ad suum ire iuberet, ne amplius urerẽtur, néue sub religioso habitu meretricem celarent.* M. *Quid ille pontifex?* P. *Annuebat non inuitus.* M. *Agnouisti'ne hominem tã sani capitis?* P. *Visus est mihi* Aeneas Syluius, *qui postea* Papa Pius *est appellatus.* M. *Reuera pius, qui misellarũ calamitate afficeretur. Sed erat'ne hoc in cœtu* Aur. Augustinus, *&* Hierony- Benedictus. Clara & Brigida. Pius Papa. Augustinus.

 mus

mus Stridonensis? nam illũ eremitas, monachosq́; institutisse suis sermonibus ferunt. unde eius familia eremitana uocitatur. Hunc uere, Hieronymũ dico, monachum, & Syriacæ solitudinis incolam fuisse satis constat. P. Neuter hic erat: ac non stulte modò, sed etiã falso inepti illi sermones Augustino tribuuntur, quos indocti alicuius, & inepti esse inter doctos omnes constat. Quin & Augustinenses ineptius se eremitanos appellitant, cũ nemo unquam magis in hominum celebritate uixerit, quàm Augustinus: qua in re satis quidem illum imitantur, utinam & sanctimoniam eius, ac fidei synceritatem, imitarentur. parum enim titulos curaremus. Hieronymus autem monachus quidem fuit, hoc est liberè, & sua sponte solitarius aliquando uixit sed nullo, ut aiunt, uoto nullusq́; sacramento religionis obstrictus, præterquam Christianæ, quo se, mystico lauacro sumpto, Romæ obstrinxerat. Nec est quòd quisquam suam sectam hoc authore tueatur. qui sectis, & omni ambitioni semper fuit infestißimus. M. Probas mihi Pasquille quæ dicis: nam & ipse in Can 12. quest. 1 Can. Necessaria: animaduerti monasteria, seu cœnobia ista nihil aliud, quàm collegia literarum, & scholas iuuentutis extitisse, tametsi postea superstitio atq; auaritia omnia corrupit, &

Hieronymus.

Monasteria olim scholæ literarum.

& ex libero uiuendi genere seruitutem quandā necessariam, & carcerem fecit. Porrò audisti'ne Amedeum Sabaudiæ ducem? P. Eum'ne qui ad Ripaliam apud Allobrogas ad Lemanum lacum eremiticam uitam ducens niues contemplabatur? B. Amedeus.
M. *Hunc ipsum aio.* P. *Audiui illum relegatū fuisse nescio quò, propterea quòd passus fuisset se Papam creari, nec refragatus esset, Eugenio 4. sedente, & sic Papatu ducatuq; fuit expoliatus.*
M. *Ergo poterit ad pristinum institutum reuerti, libertateq; non niues modò, sed etiam stellas contemplari.* P. *Videlicet illum imitatus, qui amissis bonis dixit, expeditius philosophabor.* M. *Habes'ne aliud de istis eremitis?* P. *Audiui eos cum Lucensibus aliquot litem habere.* M. *Quid istis eremitis cum Lucensibus negotij est? an societatē aliquam aut rationes mercaturæ habent?* P. *Non, sed mulieris.* M. *At isti non ducunt uxores.* P. *Non ducunt, sed abducunt, aut seducunt potius. Nam ab hinc triennium puto, eremita quidam egregius impostor, Lucæ per simulatam sanctitatem cōtracta pecunia, uiduam Camillam fœminam primariam, prætextu religionis deceptā, clàm abducit.* M. *Quó nam?* P. *Montalcinum. Scis eos ibi sua lustra habere?* M. *Scio.* P. *Ea cum optima dote relicta à marito erat. Hanc do-* Eremitæ historia.

tem eremita poscit, quòd mulierem cum dote sua ad uitam solitariam transire æquũ sit. M. *Videlicet qui nolit ouem sine uellere.* P. *Fratres mulieris negãt, quòd dotem in familia manere oporteat. Se fœnus et pecuniæ fructum, quamdiu illa uixerit, pendere paratos esse. Caussa Romam pertracta fuit. Ibi eremitæ impostura, & plagiũ tam apertum comprobatur, contra Lucenses decernitur, à sacris interdicuntur, ni summam totam numerent.* M. *Non mirum si imposturis, & superstitione euecti, plagiarijs & planis fauent Et hæc quidem caussa ad aures meas peruenit. Sed uisa cardinalium, ad quos reiecta caussa fuerat, nequitia, et pertinacia, me ab ea caussa libenter submoui.* P. *Prudenter quidem fecisti, nam oportebat te aut in ipsorum sententiam pedibus ire, aut magnam subire illorũ iudiciũ inuidiam. Habes igitur præclaros eremitas, eorumq; mores. nõ tamen omnes: nam omnes narrare qui possem? Verũ tu Marforì sapientis poetæ sententiam ubiq; seruabis: Ab uno, inquit, disce omnes.* M. *Seruabo. Quare age desine referre nominatim & quid generatim ab omnibus fiat, qua nam de re consultent, uelint'ne tandem aliquid boni prospicere mortalibus pessimis eorum exemplis iam ferè ab omni religione alienis.* P. *Prospice-*

re Marfori ais? utinam nõ pergerent nocere. Primum enim pro se quisq; erat sollicitus, ut suus ordo (si tamen ordo appellandus) haberetur sanctissimus, quam putabant unicam uiam ad magnas diuitias et opes congregandas. Ad eam uero opinionem cõparandam quisq; studebat aliquid noui inuenire, quod homines in sui admirationẽ traheret. uidi ibi apparari nouas formas cucullorum, nouos & horribiles ritus, quos nondum uiderunt priora sæcula, sed reseruantur ad oppugnandũ Euangeliũ: nam non potuit commodius unquam fides oppugnari, quàm superstitione ueræ religionis titulo palliata. Tantum potest opinio sanctitatis, cuius rei passim exẽpla uides. An nõ meministi, cũ primũ cresceret religio Frãciscana, illos bonos patres opinione sanctitatis omnes mortales sub illis initijs sic inescasse, ut qui monasteriũ diui Frãcisci in sua ciuitate, aut municipio non haberẽt, putarẽt se infœlices? ac induere eorũ uestes, aut colorẽ imitari et ad febres quartanas, et ad alia, uim habere maximã, creditũ est: & denīq; in cucullis eorũ sepeliri, esse recta ad cœlum contendere: Adeò ut Christophorus Longolius, deposito Romani ciuis nomine, pro quo tanta contentione de clamarat, uoluerit franciscanus potius in sepulchrum deferri, quàm ciuis

Sanctorum patrum studia.

ciuis Romanus titulo tam superbo, & (ut ille putabat) fœlici, immò quàm Christianus recondi. Eadem insania Rodolphus Agricola laborauit, Albertusq; Carporũ princeps cognomento Pius. Et quid multis opus? huc isti fratres deuenerunt, ut suæ sanctitatis prætextu numero omni se exemerint, adeò ut ne pontifici quidem ipsi amplius subsint, & interim omnes mortales sibi subiecerint. Quis est enim qui nesciat superioribus seculis, dum dormitarent literæ Christianæ, omnes istos ceu Dei nepotes æstimatos esse, eorumq; cõsulta maiore in precio fuisse, quàm Christi? Nam Christum ignorabant, quem ex Euangelio, quod apud hos captiuum erat, oportebat cognouisse. Porrò isti, cum librum pacis, & libertatis soli sibi uendicarent, uulgus autem putaret eos omnia sua ex hoc unico libro adducere, cum ipsi mendacijs undequaq; contractis, & horrendis miraculis, & purgatorijs confictis populum dementarent, fuit factum, ut partim sui admiratione, partim timore, miserum populum ad omnes nugas credendas compulerint. Si doctrinam illorum temporum uideas, & onera & sarcinas quibus populum onerarint, iurabis legem Iudaicam centuplo mitiorem fuisse. M. Quid igitur agendum censes in tam deploratis rebus? P. Ad legem, ad prophetas

Agricola, Albertus Pius.

Euangelium captiuum.

phetas eundum, disquirendæ, magistri consilio, scripturæ. Nam cũ Euangelium huiusmodi olim consilijs extinctum sit, & iam rursus reuiuiscat, necesse est ad eadem remedia recurrere. Et id est quod dicebã, nouas rursus laruas istos quoq; excogitare, quibus stultos mortales rursus aduocēt ad suam illam tam sordidam seruitutem. M. *Ergo, quantum audio, nouas rursus artes, & fraudes cogitant.* P. *Sanè istud credebamur omnes conari, & si rem expendas, necesse est illis ad huiusmodi studia decurrere, postquam Christus cum suo simplici Euangelio rursus prodit in lucem.* Pasquilli consilium.

M. *Obsecro te, mi Pasquille, quando huc sermo noster recidit, ut dicas mihi quomodo Christus tandem hos reddiderit tam suspitiosos.* P. *Hei mihi Marfori, id tu adhuc ignoras? legisti'ne unquam Euangelium?* M. *Non sæpe, nam solum assueui Clementinis, Sextis, Decretalibus, Strauacantibus pontificum.* P. *Ergo habes iustam ignorantiæ causam, quòd Christianus, Christi doctoris, decreta ignores? dicam uero ut clarè omnia intelligas. Bonus Christus cum doceret quendam Pharisæum, quid faciendo posset in uitam ingredi, omnino duobus præceptis omnem strauit uiam, præceptis dico tam locupletibus, ut quicquid unquam præcepissent uel lex, uel prophe-* Christi doctrina.

tæ,

tæ, istis duobus contineretur. Præcepta autem fuere huiusmodi. Dilige dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis uiribus tuis, et proximũ quasi teipsum: ut hanc putarit ad cœlum uiam, fidem, & amorem in deum. (Sunt enim hæc duo ita coniuncta, ut re separari nõ possint) pacemq; , & charitatem hominum. Porrò cum omnes uiam, qua ad uitam itur, scire desiderent, & nemo melius sciat Christo, qui descendit de cœlo, & rursus in cœlum ascendit. factum fuit ut, dũ quidam hanc ex euangelio scire cuperent, illa tandem reperta putarint quicquid extra hoc esset, ad uitam esse superuacaneũ. Et sic cœperunt reijci cuculla, rosaria, peregrinationes, meretriciæ, & odiosæ illæ abstinentiæ, & tota uita, abiectis superstitionibus, ad dei amorem, & hominum cœpta est emendari. M. Ergo *Christus istas frateitates non præcepit?* P. *Iam antea tibi dixi Christum sinceritatem, & candorem in suis requisiuisse: fucum uerò omnem uulpibus, lupis, & harpyijs reliquisse, quibus laruis opus est, ne uera forma terreat mortales.* M. *Si ista uera sunt, quid Christiana regula expetibilius? si solum hoc agatur apud omnes, ut relictis nugis, quæ ad pietatem nihil faciunt, charitas tã in deum, quàm in proximum redeat, quæ si posset*

set persuaderi à sedulis episcopis, & concionatoribus, non solũ hominũ societati, rebusq; publicis, sed & omniũ animis consultũ esset. Quid enim optatius humano generi contingere poßit, quàm hominem homini benefaciendo esse deum?

P. *Fateor, Marfori: sed uides hic aperte simplicitatem Christi esse hominibus scandalo, non secus atq; olim Iudæis in desertũ conductis. Nã istis deus præter hæc duo præcepta nihil dare cogitabat, neq; ullis externis rebus onerare, sicut cum eis fecerat in Aegypto, et antea tempore patriarcharum, qui sine multis ceremonijs summè placuerunt deo. et ecce homines importunißimi incipiunt tumultuari, uolentes ceremonijs, sicut uiderant olim Aegyptios, onerari. Quare & subito uitulũ aureũ sibi conflarunt, cui ludos, & ceremonias ad Aegyptiorum morem exhibuerunt. Quod cũ animaduertißet Dominus, stultũ populum grauißimo ceremoniarum, & legũ iugo multauit, quod nec ipsi nec posteri ipsorum usq; ad Christum, portare potuerunt, ut Petrus in actis ingenue fatetur. Similiter hodie factum est. Nam simulatq; Christus cum simplicissimis quidem illis, & paucißimis sacramentis, ac præceptis reiectus est: statim ceremoniarum, & superstitionum ueluti pelago quodam dei iusto iudicio sumus*

Legis Mosaicæ occasio.

Legis iugum.

sumus

sumus obruti, ut nisi Christus nostri misertus tandem redijsset, necessum fuerit omnes hac inundatione perire M. *O miseros Christianos, qui cum Christi fratres, ac proinde reges, & sacerdotes esse poßint, malunt Sathanæ, & eius uicario Antichristo seruire, & relicta ueritate, ipsam amplecti uanitatem.* P. *Certe nihil aliud ille egit, & docuit, neq; aliud requiret de manibus nostris. Nam ad iudicium cum ueniet, non quæret ex te: audiuisti missam? legisti ne orationes Brigidæ? obseruasti ne regulam diui Francisci? & huiusmodi: sed illud testamentum, quod tibi tam sedulò commendauit, cũ inquit: Pacem meam do uobis. Pacem meam relinquo uobis. Hoc meum est iussum, ut diligatis inuicem, sicut ego dilexi uos. Porrò an feceris ad præscriptum huius testamenti, perspicuũ erit, cum dicet: Sitiui, & non dedisti mihi bibere: esuriui, & nõ dedisti manducare: & similia, quæ si inuentus fueris bona fide fecisse, regnũ poßidebis sempiternum: sin minus, in stagnum æterni ignis demergeris.* M. *Quantum intelligo, qui præcepta hominum faciũt, consulunt ipsi sibi: qui uero præcepta Christi, coguntur & alijs prospicere.* P. *Recte concludis & hinc manauit omnis error, quòd dum quisq; suo honori, & commodo consulit, tot facta sunt sectarum diuortia*

tis perniciosarum, ut tam nullus sit finis. Nam si regulam Christi spectemus, hic omnes fratres sumus, & ex æquo hæredes, una omnibus uita, scilicet fides una: uestis, charitas, unum omnibus ingenium nimirum mitem esse, & non elato, aut tumido animo. Apud tales est æqualitas: nec est ulla principatus cupiditas, sicuti in rudibus adhuc Apostolis, dum Iudaicum quendam Meßiam somniarent. M. *Pulchrè hæc omnia disputasti: sed hoc mirabar, quòd isti, amissa opinione sanctitatis apud omnes, hodie hæc tam nota retia tenderent.* P. *Nescis omnem mouendum esse lapidē in rebus quas efflictim desideres. Ita isti faciunt, qui iam ad hoc, iam ad aliud confugiunt, temporibus, & hominibus sese conformantes.* M. *Ergó ne alia adhuc instrumenta habent, quibus suū negotium apud homines promoueant?* P. *Quasi istis unquam aliquid desit, quo irretiant, & inescent mortales. Nunquám ne considerasti tot falsa miracula, tot superstitiones, tot meritorum, tot bonorum operum publicas nundinationes?* M. *O astutiam: sed quæ bona opera isti poßunt uendere quæso? quibus semper plus deest, quàm superest?* P. *Aiunt se legere horas canonicas, uigilias, & missas pro defunctis, & ieiunare, & hæc dicunt se posse alijs (elargientibus uidelicet) applicare.*

tatem, aut quicquam aliud à mortuis inquirere prohibemur. Verum ut ab uno omnes discas, ut il-
Necromantia Aureliana. *le de Græcis dicebat, uolo tibi necromantiam Aurelianam narrare. Aureliæ, quæ urbs est Galliæ, superioribus annis mortua est Prætoris uxor, nobili genere, & lauta fortuna, quæ se efferri testamento sine pompa, sine mußis sepeliri, cauit. Sepulta uero in Franciscanorū cœnobio fuit. paulo pòst audiri uoces, & strepitus quidam horrendi in cœnobio, tantisper dum sacrificulus in missa suum rotundum Deum populo auersus ostentabat. Concursus factus est ad eum locum promiscuæ multitudinis: auditum est, sensum est, creditum est: ad demortuæ maritū extemplo res delata est, adijt, acceßit, de re tam noua diligenter quæsiuit. Aderat exorcista, qui spiritum illum inquietum cogeret respondere. Rogat, esset'ne paradisi incola: hic nihil auditum est. Adiecit inferni ne, & tū quoq; muta omnia. Ergo, inquit exorcista, è purgatorio ad nos huc commigrasti? Hic spiritus semel parietem graui percußit ictu. Rursum cœpta est longa antemortuorū series recenseri, an hic, uel ille esset, ad quorum nomen nihil neq; uoce, neq; strepitu responsum est. donec ad eam uentū, quæ nuper sine impensa, et pompa humata esset: tunc enim bis spiritus fabricam grauiter percussit.*

sit. Mox rogat exorcista quam ob causam ad purgatorium detrusa esset misera anima, ac multis propositis causis, sensim eò delabitur, ut roget, num propterea factum sit quòd fuerit Lutheriana. *Tunc ter insonuere cauæ, gemitumq́; dedere cauernæ.* Hic Prætor, *homo prudens, & catus, singulis obseruatis, notatoq́; loco. uultu, tristitia, admirationeq́; simulata, patres illos reuerendos penè omnes, saltem honoratiores inuitat ad epulum, & in posterum diem, parentalia, missarũ q́; centenum numerum indicit, ut famelicæ animæ satisfaceret.* Postridie *incenduntur ubiq; funalia, missæ innumeræ ad inferna mittuntur.* Boatus *fit magnus, & sepulchra aqua lustrali inspergũtur, thureq́; Sabæo centum calent aræ.* Post *hæc itur ad lautißimum, & opiparum epulum, dumq́; in* Præfecti *domo accumbunt patres, dispositi exploratores in monasterium uadunt, ad notatum locũ se conferunt, latebras inueniunt. erant enim cœnationis fornices, è quibus tres spiritus, inuitis paucis, qui aderant, monachis, eripiunt & ita locum à dæmonibus obsessum liberant.* M. Quî *potuere teneri, cum incorporei sint?* P. Diuus *Augustinus spiritus habere corpora quosdam tenuißima, alios craßiora affirmauit.* Ii *erant ex craßioribus, ut ferè habent qui monasteria incolunt.*

lunt. M. *Ergo planè erant spiritus?* P. *Tres Marfori, erant monachi, ex ijs, quos nouitios uocant, hoc est nondum in monasticis fraudibus, & artibus magistros, aut ueteranos.* M. *Mirabar si quid esset in monasterijs non fraude, & præstigijs plenum.* *Et memini tale quiddam* Taurini, *quæ est ciuitas* Pedemõtana, *factũ fuisse.* P. *Ho sic tres diabolos in epulo statuũt, quos ubi* Archi *dæmones illi accumbentes agnouerunt, obstipo capite se uicissim intuentes obmutuere.* Non *diu autem post capti præstigij autores uariè multati sunt.* M. *Miror quid impediuit quominus* Rex, *tanta ijs imposturis patefacta fenestra, euangeliũ in* Galliã *libere admiserit.* P. *Nescis Sirenes istas quæ circum aures eius insonant, hactenus obstitisse, & Circem suis incantamentis effecisse, ne asini, uiderentur asini: & ne ueritatem, quam agnoscit, admitteret?* Verũ *confido aliquãdo regẽ* Vlysseа *herba* Circem, *et incantamenta omnia lusurũ, & ueritatem recepturum.* M. *Debemus meliora sperare.* P. *Ita est. Sed est'ne hoc meliora sperare, ut ad istos Cyclopes redeamus, credere ut quis perpetuo sit in odioso isto purgatorio? Cur non potius sperant eum esse in cœlo? & missas faciunt tot missas?* Ego *semper de eo, qui in* Christi *fide moritur, malim sperare ascendisse in paradisum,*

sum, quàm in purgatorium descendisse. Fide enim dcum corda purgare, ut alios omittam, apertè docet apostolus Petrus in actis: Quod si fidem habent, purgati sunt, non egent purgatione, nec iam quicquam impedire potest, quominus in cœli palatia & templa euolare queant. Quid quæso est, quòd nostri pastores de nostra salute sic dubitant ut credant nos in purgatorium potius concedere, quàm in cœlum? certe faciunt ut credam eos sibi male sui officij conscios esse. Nam si suam ouiculam rectè instituerunt, rectè uerbo dei pauerunt, & Christo credentem ab hac uita dimiserunt, quid opus est ouiculis miseris tam dira ominari? & ad tot sacrificia insanire? quæ tam crebro usurpata, iterataq; satis ostendunt nunquàm sufficere: nam si sacrificia ista essent aut idonea, aut accepta deo pro mortuis, quid opus esset toties iterare? putas'ne tantam multitudinem missarũ, quæ nullũ finem habent, non fecisse, ut multi hodie credant aut purgatorium esse fabulam, aut ex purgatorio nullam esse redemptionem? M. Placet mihi hic sermo: sed quando in purgatorij mentionem incidisti, & suprà dixisti ex mortuis neminem redire, rogo ut dicas an purgatorium uideris: & quomodo ex illo sis ereptus. P. Ego, mi Marfori, nunquam re uera fui mortuus,

sed solum ex corpore in saxum uiuum, ut uides, translatus sum, usus quodam commutationis genere, ut in hunc usq; diem Pasquillus nequiuerit mori. An autem purgatorium uiderim, miror cur ex me quæras, quem scis in cœlum solum ascendisse, nisi forte uelis Christum, aut Christi sanguinem purgatorium nominare; præter quod purgatorium, aliud nullum esse credo. M. *Intelligo hæreticorum dogma.* P. *Equidem an hæreticũ sit nescio, hoc autem certò scio, Pauli in epistola ad Hebræos esse sententiam, absq; sanguinis effusione non fieri remißionem, uel expiationem peccatorum: ex qua sententia sic ratiocinabar primum, isti non effundunt sanguinẽ, deinde, in purgatorio non est sanguis: ergo in purgatorio non potest fieri remißio, aut expiatio peccatorum. Non esse autem ibi, neq; effundi posse sanguinẽ, primũ ex eo patet, quòd solæ animæ sine suis corporibus ibi esse dicantur, quæ sanguinis, & concretionis expertes sunt. Deinde idipsum Poëtarũ fabulosa mẽdacia testantur, cũ quibus, quæ isti de purgatorio dictitant, belle cõsentiunt. Nam Vergilius nugas Platonicorum secutus sic cecinit:*

De purgatorio.

Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad uentos: alijs sub gurgite uasto
Infectum eluitur scelus aut exuritur igni.

Vbi

Vbi triplicem expiandi, purgandiq; materiē uides, uentos, aquam, & ignem. Tametsi, nostri Cyclopes, Sathanæq; archimagiri ignē, & flammas magis probare uideantur, quo magis pauidos mortales terrere poßint. Porrò ant equā hæc argumenta haberem, ipsi pictores fecerunt me sæpe de hoc igne dubitare: nam cum pingerent homines in altum sublatos, integris crinibus & barba, nec ulla parte ustulata, integrum & inuiolatum corpus satis indicabant, ex quo putaui hunc ignem non magnam habere uim ad exurendum. Præterea sciebam esse apud istos septentrionales magis in usu (nam & cuiusdam sancti patricij habent purgatorium Scoti celeberrimum) qui ut frigidi ad Deum non uenirent, opus fuit aliqua calefactione, & hic ferè uidetur fuisse huius ignis usus à principio. In quibusdam uero picturis uides angelos animas ipsas hoc igne quasi momento calfacere & lustrare, illicoq; in altum tollere, ne detrimentum patiantur. Iste uero tam terribilis ignis, qui totum mundum hodie ad trepidationem compellit, nescio quo fato extinctus sit, cum iam esset ad ardendum instructißimus. Purgatorium extinctum. M. *O utinam uera diceres. Sed audiuisti ne hoc à quoquā?*

P. *Nuper Geneua rediens, cum per Heluetios iter facerem, audiui hoc à meo hospite.* M. *Re-*

ter historiam. P. Meministi'ne anni illius, in quo tanta diluuia ab astrologis passim prædicebātur? M. Memini: fuit annus à Christi seruatoris ortu M.D.XXIIII. *P. Meministi'ne & illo tempore multas preces deo, & supplicationes factas, ut tam dira prognostica auerteret? M. Et hoc ipsum memini. Ab omnibus orabatur, & trepidabatur. P. Vera narras: & eo tempore deus nostri misertus, iussu Neptunum aliò ducere aquas. Is cum illam grandem colluuiem non posset omnem quò uolebat effundere, ad purgatorium bonam partem demisit, ex quo tantum damni sensit hic ignis, ut nunquam deinceps uerè arserit. Nā magna pars extincta fuit: reliquum illius ignis aquam, quasi hostem suum, fugiens, primum in Siciliam, deinde in montem Vesuuium, postquam sibi sensim uiam strauisset, erupit magno cum impetu iturus etiam postea Romam, unde primum cœpit ardere. M. Tam dirus ignis audeat'ne tā sacram urbem inuadere? P. Non inuadit qui postliminio ad propria reuertitur. M. Habet'ne male ista tempestas hos deos? P. Quam ægrè ferant uix unquam credas Marfori. Hodie infestatur ab ijs mirum in modum Vulcanus, ut alium restituat: nam ex monte Aetna per quendā abbatem primum importatus esse Romam ad di-*

num Gregorium creditur. Quare nisi Vulcanus alium accendat, uerentur ne magna optimi uecti galis pars eat deperdita. M. *Sanè & ego dubito. Scis tu quidem hunc ignem iamdudum terruisse omnes mortales, et maximè febricitantes, qui ex calore, quem in præcordijs sentiebant, ad purgatorij ignem decuplo feruentiorem argumentantes, non poterant non maxime trepidare. Si uero ista innotuerint uulgo, quis erit qui amplius uelit fraudem facere suis liberis in testamento? Quis uel teruncium legabit cœnabijs, & crassis istis patribus? Quis denique magni faciet in cucullo sepeliri?* P. *Nullus omnino: quod quia isti uerentur, alium ignem iam reperiũt, & quidem præsentiorem. Nam posteaquàm uident maximam partem hominum flammas illas mortuorum contemnere, uiuorum iam flammas uiuentibus admouere cœperunt. Sed nec proficient hilum. Nam hoc genus hominum in flammis uiuit, & uelut phœnix ex suis cineribus renascitur. Et de his uerum est, quòd ait poëta: Igneus est ollis uigor, & cœlestis origo. Sed tempus est ut ad nostros choros reuertamur.* M. *Tempus: sed uidistí'ne Capucinos istos?* P. *Istós ne qui iam passim in omnibus Italiæ urbibus incipiunt nidificare, sordidis & rudibus cum uestibus, tum moribus, cucullo prælongo,*

Odilus Abbas.

Capucini.

prælongo, acuminato, & ferè forma ea qua pingitur diabolus Christo spectra obijciens in deserto? M. *Istos aio, quorum Dux & imperator, erat Bernardinus Ochinus Senensis, qui tantũ sanctitatis fama effecit, ut Capucinorum natio iam aliquo numero esset: ni tandem ille sua abitione et fuga, eam ita concußisset, ut penè funditus collapsa uideatur.* P. *Satis intelligo, nam & Bernardinum in Italia uidi, & Geneuæ, cum Germaniam & Galliam peragrarem, perlibenter salutaui. Hic enim is cum persanctè uiuit, tum patriũ domesticumq; stilum in Aetneos istos fratres, & magistros nostros stringit. Huiuscæ igitur sectæ in hoc cœlo unum, aut alterum uidi per cœlũ cursitantem, nemo illis assurgebat, nemo locũ dabat, adeò omnibus odio, & contemptui esse uidebantur. Tandem cœperunt illi inter se nescio quid de libero arbitrio, ut aiunt, liberaq; uoluntate rixari & conuicijs agere.* M. *Credo: hanc enim materiam, cum Patauij essem, ut fierem canonista, bacchanalibus obtrudebant omnibus baiulis, lanijs, & coquis. Sed quî fit ut sic inuisi sint? debebat tam monstrosus habitus saltem aliquid existimationis comparasse.* P. *Quòd ob nimiam hypocrisim, quam sorditudine plus quàm Cynica & monstroso habitu ornant, ab alijs sectis ad suam impostu-*

Bernardinus Senensis.

impoſturam omnes homines tracturi uiderentur.
M. Ergo *& hic inuidia regnat?* P. *Quaſi illa non iampridem mundo relicto monaſterium intrarit, facta & ipſa monacha: ubi enim maiorem inuidentiæ bilem inuenias, quàm apud iſtos dulces patres? Iam'ne excidit tibi iſtud eſſe cœlum pontificiũ, in quo immortales ipſi, mortalibus ſunt multò deteriores? iſtud autem poſt melius intelliges.*
Eſt'ne hæc illa cæleſtis concordia? P. *Vna eſt omnium cõcordia ut ſe, ſuamq; famam ſupra Chriſtum ponant: in reliquis ἐκ διαμέτρου diſſideant. Nam quid quæſo aliud eſt tot monaſteria condere, tot ſectas, tot uaria numina, tot colores, tot ritus inuenire, quàm memoriam Chriſti ſenſim abolere? Equidem monachiſmi ortum, Chriſtianiſmi interitum fuiſſe affirmo.* M. *Ita uidetur quidem. Sed perge ad reliqua obſecro: nam me quò ulterius progrederis, eò magis audire delectat, tantam in re ipſa utilitatem eſſe uideo.* P. *Choro monachorum, & eremitarum proximus chorus eſt uirginum, & uiduarum, ubi licet uidere milia mulicrcularum multa.* M. *Ergo mulieres hic ſunt ſupra uiros, & gradu celſiores?* P. *Sic opus eſt, ut inter monachos, & confeſſores collocentur. Nam hinc monachi docent illas quomodo diabolus ille ſit in ſuum infernum immittendus, quomodo*

Chorus uirginum.

do cum eo pugnandum, & quomodo in ecstasim abeundum. Illinc uero confessores illas audiunt enarrantes quicquid uisu, uerbo, et opere deliquerint, & sic impositis manibus uirga illas percutiunt in pœnitentiã, ut hic fieri à pœnitentiarijs Papæ *uides.* M. *Intelligo: in medio uidelicet sunt collocatæ, ne possint euadere. Vnum uero est hic quod me mouet, quod in letanijs postremum locũ tenent: hic autẽ supra monachos sunt, quibus eas subesse par fuerat.* P. *Error est in libris Marfori, non in re: & qui letanias sic disposuerunt, rem nõ satis bene putarunt: alioqui fœminas non collocassent in extremo, quæ custodiendæ ipsæ sunt nõ custodire debent. Quod autẽ à sexu argumentaris fœminas subesse oportere, frigidum est: nam satis eas sibi subijciunt monachi, & sacerdotes, cum libet.* M. *Sed est'ne nomen unum, atq; habitus?* P. *Qualis aliorum est omnium, uarius, & multiplex. Nam aliæ Cœlestinæ, aliæ Vastalinæ, Clarinæ aliæ, aliæ, Martyrinæ, Brigitinæ, Barbarinæ, aliæ Lucianæ, Marianæ, Marthanæ, Benedictinæ, Franciscanæ, Dominicanæ, Augustinianæ, Carmelitanæ, Seruianæ, & ut audio, etiam Puttaninæ, ab autore, duce, loco, & re, nomẽ & habitũ habẽt.* M. *Quid moliebatur hic sexus?* P. *Quæ meliores uidebãtur: nã de uiduis postea,*

primo gloriabantur tam superbo uirginitatis titu lo, deinde gaudebāt quod spectabiliorē illā Christianorum partem pertraxissent in eadem opinionem. Hoc *unum hic audiui iactari unam uirginitatis, & cœlibatus opinionem, aut si mauis unū matrimonij odium.* M. Non *uidebatur falsa iactātia: nam nisi* Pontifices, *& sacerdotes, & monachi ab uxoribus sese abstinuissent, iam ceciderat tota pontificia regio distractus hinc inde per filios reditibus, quibus solis capiuntur, ut & ad eam factionem transeant, & in ea permaneant: ut hodie in pontifice* Paulo tertio *patet. Scio enim quātum eius filiorum, & nepotum nuptiæ* Romanæ *ecclesiæ ademerint.* Iam *tecum reputa siquis alius unquam superuenerit eiusdem conditionis, futurum esse ut* Pontifex *uix* Romam, *& tres tabernas sit habiturus.* P. *Sapis* Marfori, *& ego in eadem iamdudum sum sententia.* M. *Sed hoc miror in dote animi tam rara an possint tot uirginum millia esse, maximè cum sit uirtus, quæ sola appetentia libidinis amittitur.* Nam *si uidisti mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus es in corde tuo.* P. *Loquimur ex uulgi opinione, qui putant uxore, aut marito carere uirginē esse.* M. *Sic scortatores & meretrices, uirgines esse possunt.* P. *Non nego, si modo iurauerunt*

se uxo-

se uxorem non ducturos. Deinde illud uulgatum: Et si non castè, tamen cautè, omnia excusat. Vltimo sufficit quòd deberemus quidem. M. Dubito ne cum hac opinione multæ sint impuræ uirgines. P. Vera narras: alioqui quî esset uerum, quod in Euangelio dicitur: Meretrices & Publicani præcedent uos in regno cœlorum? & quinq; uirgines exclusas à sponsi Christi thalamo esse?

M. Ergo uidisti hic Catharinam, Barbaram, Odiliam? P. Vidi, sed nescio qua ambitione deuinctas. M. Quid audio? Sunt'ne hic ambitiosæ uirgines, quæ omnia contempserint, ut haberent sponsum Christum? P. Olim omnia contempsisse leguntur quidem, & credendū censeo pijs, & eruditis historijs, in quibus nihil temerè, nihil superstitiose recensetur: Sed hic mihi uisæ sunt & pellem, & ingenium mutasse. Nam hic Catharina promittebat omnibus, qui eius passionis, quam uocant, recordarentur, à fulminibus & tempestatibus immunitatē. Barbara uero fortunas belli prosperas, quanquam & hanc tonitrus matrem, tempestatumq; potentem faciunt. M. Audiui istam Barbaram ob ieiunium sabbati, quod in honorem eius fit, multos milites reddidisse ad prædam audaciores. Noui qui eam, ut à bombardarum ictu ipsos defenderet, in gladijs, & thoraci-

bus

bus ferreis cælatam haberent. P. Ego mi Marfori, *quando huc deducta est nostra oratio, sanè istud mecũ miratus sum, neq; unquam ad credendum* potui induci optimos *sanctos sub supplicij horam hac ambitione detentos fuisse, ut uellent apud posteros magnifieri, & celebrari: & putabam rem esse ridiculam, quòd apud suos tum esse non uoluissent, id apud posteros uelle esse.* Præterea certum habebam *diuos uerè à Deo genitos nihil nisi Christum unquam quæsiuisse, non seipsos, ut affingũt in suis historijs indocti monachi: & utinam habeamus horum historias repurgatas: miraberis tam uastum mendaciorum pelagus rescissum, utinamq; Christiani præter solam Christi uitam, nullam magnificerent, non tot essent dissidia: nam dum nos ad sanctorum uitam imitandam componimus, illa uero ex historijs spectatur illæq; mendacijs, & commenticijs superstitionibus scateant, non possumus non in uariam uitæ rationem, uariasq; sectas incidere.* Et hoc uides hodie *inter monachos, dum ille Franciscum, alius* Dominicum, *alius* Bernardum *in solis uestibus, & coloribus imitari conatur: hinc tot sectæ, cultus, mores, dum quisq; sancti sui institutum defendit. Si unus Christus esset propositus, nihil esset horum: sed pax & tranquillitas per omnia.*

M. Ergo & hic, ut ad propositum redeamus, quantum audio, non caret suo uitio uirginitas. P. Iam audiuisti fuisse uiam ad confirmandum hoc cœlum. M. Audiui, sed uisa sunt mihi hic uitia uirtutum nomina induere, et fornicatio uirginitas uocari: quo magis D. Hieronymum sum miratus, qui istam uirginitatem tantopere laudarit, sic ut concludere ausus sit: bonum est homini sine uxore esse, malum est homini uxorem habere. Et alibi acclamat: Deum' uirginitati Paradisum, matrimonio terram dedicasse. P. Ista haud dubie Montani hæresim sapiunt: ut est illud quoque, quòd secundas nuptias omnino damnare uideretur. Nam cum aduersus Iouinianum scriberet, & secunda & tertia matrimonia ut mala permitti affirmauit. Et ad quod semel arripuit confirmandum tuendumque, totam diuinam scripturam cogit, ac trahit inuitam: Id quod sæpe illius scripta considerans sum non mediocriter admiratus, cum alioqui fama ingenij, & literarum gloria nulli ueterum doctorũ secũdus extitisset.

D. Hieronymus.

M. Libri igitur illius magna cum animaduersione, atque iuditio legendi sunt. Nam nihil periculosius quàm mala alicuius scripti interpretatio, quæ & legentẽ in eundẽ errorẽ, ni sit oculatus, & prudẽs trahit. P. Ita est. Sed quid facias,

Dalmata

Dalmata erat, qua gente nulla magis se, admiratur, nec in cõcepta opinione ulla est pertinacior. Hieronymus castus uolebat uideri, ideo monogamiam & uirginitatẽ hyperbolicos extollebat, & nuptias tantum non damnabat. M. Sed miror istam uirginitatem in tanto honore fuisse: cum nulli unquam præceptũ legam ut ab legitimo cõnubio, quod deus ille pater rerum, abstineret, statim homine condito instituit, & deinceps lege cõfirmauit, & magnis laudibus ornauit, & Christus ipse sua præsentia, & munere comprobauit, & commendauit: tanti et Apostoli eius matrimonium fecerunt, ut uel Episcopum maritum esse uoluerint & iusserint: id quod Paphnutius ille uir eruditissimus & sanctissimus contra trecentos episcopos in Nicæna synodo defendit, quamuis ille cœlebs semper extitisset. P. Caussam nescio, uerum quantũ possũ conijcere in gratiam D. uirginis uidentur multi studuisse, ut multæ essent uirgines. M. At illi cum hoc conatu nunquam effecerunt, ut plures essent Mariæ: dubito ne illa unica fuerit phœnix. P. Miror te tam subitò deò perspicacem factum. M. Non miraberis, si modo memineris illius quod Telemachus apud Homerũ dicit: qui fatetur se aliorũ sententias audiẽdo factũ prudentiorẽ. P. Macte uirtute Marfori,

gratulor meam in te mentem crescere, & utinam cum mente aliquando nomen immutes, ut fias ex Marforio *Pasquillus, simusq; tandem unum, instar* Iani *illius ueteris.* M. *Ego disertiorem, prudentioremq; me repente ex tuo colloquio effectū gaudeo, noua nomina, aut nouam formam nō multum moror, mihi satis superq; fuerit, si quando dicar, tuus alter idem. Sed ut ad propositum redeamus: cur de honore uirginitatis tantū mirer, adducam tibi meas rationes.* Nam *non uideo* D. *uirginem unquam à Deo ob uirginitatem fuisse laudatam, aut putasse illam fuisse apud* Deum *magni meriti: nam statuerat uirum habere, & iam habebat, moreq; aliarum usa fuisset, ni statim mysterium, angelo docente, deprehendisset: sed potius uidetur* Dominus *in ea humilitatem modestiamq; spectasse, rem Christiano in primis necessariam. & quam Christus uoluit nos à se discere, cum inquit:* Discite *à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et *rem ita se habere ostendit ipsa* Mariæ *cantio illa sanctißima, ubi habetur:* Quia *respexit nō ad uirginitatē, sed humilitatem ancillæ suæ, demonstrans rem fuisse Deo in primis acceptam.* Porrò *si uelis neceßitatem istius uirtutis uidere, lege* Euangelium *ubi Christus disceptantibus inter se discipulis, quis maior esset in regno*

cœlorum

cœlorum, statuit in medio eorum paruulum testatus, nisi sese demitterent instar eius paruuli non posse intrare in regnum cœlorum. Quòd si tantopere placuisset illi uirginitas, aut putasset tam necessariam, poterat dixisse: quòd si uirgines non fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Præterea maxima laus & gloria, quæ Christo datur non est quòd fuerit uirgo, sed quòd exinaniuerit semetipsum, formam serui accipiens. Vnum tamen me mouet, quòd Dominus uisus sit laudare eos, qui seipsos castrassent ob regnū Dei.

P. *Quando tam cupidus es ueritatis, dicam. Castrare se ob regnum cœlorum, est cœlibes manere, quo expeditius alicui publico muneri ad gloriam Dei incumbas. Nō omnes id possunt, sed quibus datum est, hi possunt. Ergo non debet in præceptum trahi. Sed hoc consilio uti tantum debent ij, qui in hoc à Deo uocati sunt. Neq; melius quisquam hoc iudicabit, q̃ quisq; de se ipso.* M. *Male ergo id magnus ille intellexit Origines, qui dicitur sibi ipsi uirilia resecuisse.* P. *Sanè melius sese castrasset, si illum libidinis ardorē, ducta honesta, & casta uxore, domuisset.* M. *Sed sic nō potuisset castus esse.* P. *Neq; isto modo potuit esse apud logicos, qui eunuchos ob impotentiam, castos non appellant. Quod ducta uxore potuerit*

rit castus esse, licebat illi scire ex illo Sapientis lo co, ubi ille exclamat in laudem coniugij: O pulchram claramq; cum castitate procreationem. Et
Hebr.13. *ad* Hebræos *ita scriptum est:* Honorificum *inter omnes coniugium, & cubile impollutum, scortatores autem, & adulteros iudicabit deus.* M. *Vtinam te ecclesiastem aliquot annis habuisset orbis, non sic cæcutiret.* P. *Sic fuit in fatis, ut qui mendacijs & nugis sese oblectaßent, mendacijs & nugis obruerentur.* M. *Quoniam huc deuolatus est sermo, libens à te perdiscerem, quid in hac uirginitate sic urgenda tam magnos uiros deceperit?* P. *Istud non memini me unquam audiuisse, nisi semel à quodam* Episcopo Gallo Venetijs *legatum agente, homine ætate iuuene quidem, sed cum eruditione, tum iudicio multum senili. Qui putabat magnos errores inde creuisse, quòd uiri alioqui oculatißimi ex eo quòd uni iussum, & præceptum fuerat in scriptura sacra, ad uniuersos trahebant, & generale præceptum constituebant.* Exempli gratia: *cum integra uerá que uirginitas, aut incorruptus cœlibatus, ei qui neceßitatem nullam habet, quò melius muneri, ad quod uocatus est, inseruiat, consulatur: tamen paßim eam ab omnibus ausi sunt exigere, quasi omnes capiant uerbum hoc, cum* Christus *ipse di-*

scertè

ferrè dixerit,nõ omnes eius rei capaces esse. Quæ res nõ in uirginitate solum fefellit bonos illos patres,sed et in alijs scripturæ locis. Qualis est ille, ubi Christus diuitẽ iuuenẽ,qui se omnia ad uitã ne cessaria fecisse iactabat,hortatur ut uenditis omnibus suis bonis,& in pauperes erogatis,sequere tur se.Non negabat Christus in medijs bonis posse quenquam colere Deum. Nam hoc fecisse sanctos patriarchas,& reges olim,apertum erat:ne que uolebat Christus hanc rem ad uitam necessariam,sed ut iuueni, qui præ cæteris uolebat aliquid uideri, cristas deijceret, ostenderetq; ipsum sibi, consulit & iubet, ut si egregium facinus uellet ostendere, distraberet omnia quæ haberet: quod si id nollet,clarum esse, illum nondũ caput legis tenere:scilicet solidam in deum fidem,& obedientiam,suiq; contemptum.Ex hoc Christi dicto,hodie sancti illi patres,omnes homines ad relinquenda omnia facto, & re bona,uolunt cogere:cuius loci sententiam si intellexissent, non tã generale præceptum fecissent , sed reliquissent (quale re uera est) pro priuato unius præcepto tamque priuato & singulari, quàm fuit Abrami de mactando filio Isaco:in quo aliud nihil nobis ostenditur,quàm fides eius uiri, & obedientia, quam imitari debemus & ipsi,in ijs quæ nobiscũ Math.19.

agit Deus. M. *Intelligo: aliàs uolo latius de ijs rebus disputemus: nam nihil potuit ex illius iuuenis episcopi sententia, mea quidem opinione, exactius animaduerti. Gratulor Galliæ, quòd pro Sorbonicis magistris, eiusmodi tandem uiros pariat. Sed tu Pasquille nihil de uiduis dicis? Erant'ne hic uiduæ illæ ueteres & bonæ, Iudit, Sareptana, Anna illa uates, quæ Christū apud Lucam tam aperte confitebatur, & palàm commendabat: & altera, quæ obtulit obolos duos, tantoperè à Christo probata?* P. *Nullas prorsus hic ex ijs uidi, nam aiebant esse in altero cœlo. Erant uero hic quędā, quas nemo audebat nominare, puto quòd fuissent ex his, quas Paulus ociosas, garrulas, curiosas, & ineptas appellauit.* M. *Quid igitur effecit, ut in hoc cœlum referrentur?* P. *Angelus meus dicebat id eò factum fuisse, quòd quędā ex his monasteria ædificassent, sectam constituissent, & magnis opibus cumulassent, factæ et ipsæ monachæ: præsertim Anglæ quędā, Vngaræ, Germanæ, & Gallæ. Italæ uero, & Hispanæ perpaucæ. Quanquam hodie ex nostris sint, quæ superstitione cum ueteribus certent: nec certent solum, sed etiam uincant.* M. *Vbinam tales esse audiuisti?* P. *Vnam, aut alteram narrabo, quas miror te non agnoscere propter nominis, qua maxime*

Chorus uiduarum.

xime gaudent, celebritatem. Audiuisti ne de quadam Vastalla, & de Camulla Palauicina? M. Audiui, sed animum non aduerti: aliud nimirum agens, sed ubi sunt? P. Vbi sint affirmare non possum. faciunt enim quod Paulus reprehendit: peragrant ciuitates ociosæ, & omnium domos. Sed tamen priorem illam, quam Vastallam appellaui, Mediolani uidimus ipsi: in qua ciuitate sectam suam constituit: Alteram Papiæ, dum illic ageremus, & nuper quoq; Venetijs. In magnis enim aquis, magni capiuntur pisces. M. Narra quæso Vastallæ sectam: nam nō dubito eas aliquid monstri alere. P. Bene dicis, Marfori, Monstrū alere: nam quid aliud possūt, quæ naturā Deumq; relinqunt? Vastalla igitur uidua prædiues, opulenta, & nobilis, idcirco Comes appellata, mulierum & uirorū sectam constituit: omnino finis huius instituti est, ut qui id genus uitæ sequuntur, Adami & Euæ puritatem & innocentiam adipiscantur: eam dico puritatem, in qua fuerunt parentes illi nostri ante peccatum, & fiant prorsus anamartiti atq; apathi. Modus autem, & ratio eò perueniendi, sunt ieiunia continua, preces longissimæ, diuturna silentia, uigiliæ, cōfeßiones quotidianæ, in quibus quicquid uel benè, uel malè fecerunt, dixerunt, cogitarunt, etiam minutißima

Vastallæ institutum.

quæque, & friuola fateri, & aperire coguntur. Adhæc septimo quoque die communicare tenentur. Scis tu communicare, & communionem, seu sacramentum sumere, eos appellare, cum farinaceum, & coctum illum suum deum uorant, quem etiã corpus Christi audent nominare. M. *Quid ais Pasquille? ergo negas panem consecratum esse corpus Christi?* P. *Audi Marfori, credis'ne Christum esse uerum hominem?* M. *Quid ni credo, qui natus ex Maria uirgine, passus, mortuus & sepultus uere fuerit?* P. *Credis'ne illum etiam uerũ hominem resurrexisse, inque cœlum ascendisse, secum corpus suum integrum extulisse, uenturumq; inde, ut uisus fuit abire, ad iudicãdos uiuos & mortuos?* M. *Credo, & certò ex pectō.* P. *Si ita credis qui fit igitur, ut frustum panis, corpus Christi: poculum uini, sanguinem esse putes? imò Christũ ipsum?* M. *Primũ quia ipse dixit, deinde quòd cum sit deus omnipotens, quod dixit, etiam facere potest.* P. *Sublato priore fundamento, alterũ per se corruet. Dixit panem esse corpus suum, & tamen ipse, non panis ille, quem digitis continebat, loquebatur: panis continebatur, Christus tenebat. cedo, utrum horum erat corpus Christi?* M. *Hæreo ita me deus amet: nam si dico panem fuisse corpus Christi, at*

De corpore Christi.

que

que adeò Christum ipsum: ergo qui tenebat, Christus non erat. nam Christus homo & deus est, atqui homo, corpore & anima constat. Sin, qui tenebat panem, eum Christum uerum esse aio, consequitur panem non esse corpus Christi, nisi tertium quiddam dicam, uidelicet utrumque esse corpus Christi: quod si dico, monstrum constituo. aut enim Christus phantasma est, aut iam duo Christi erunt: aut Christus bicorpor est, hoc est bina habens corpora. Et tamen cum ipse dixerit, fatendum & tenendum esset panem esse corpus Christi, quòd fieri necesse est uel maximè, si panis transubstantiatur (ut magistri nostri dicunt) & in Christi naturam abit.

P. *Lupum auribus scilicet tenes, Marfori: quem tamen nec retinere, nec missum facere satis audes, à quo te facile explicabis, si commodam aliquam interpretationem in auxilium uocaueris.* M. *Cedò, quam interpretationem?* P. *Nihil aliud nisi usitatũ loquẽdi morẽ. Quis enim tã imperitus est, qui nesciat, signis et monumẽtis, rerũ ipsarũ nomina attribui? Sic monumentũ, scriptũue donationis, testamenti, fœderis: donationem testamentũ, fœdus appellari, euidentißimũ est. Quin & Palladis, aut Iouis signum, Pallas & Iuppiter uocitatur. Ac ut idipsum ex sacris*

cris libris ostendamus, non'ne circũcisionem, fœdus: agnum Pascha, hoc est transitum: Petram è qua manarunt in deserto aquæ, Christum esse scriptura sancta apertè testatur? M. *Id quidem uerum esse audiui.* P. *At eo quoq; pacto, & eadem forma dixit Christus panem esse corpus suũ. Cum uero nec circuncisio fuerit fœdus: nec agnus Pascha, nec Petra Christus: sed signa nimirum fœderis, Paschatis, Christi: eodem prorsus modo panis est corporis Christi signum, & monumentũ, nec tamen inane signum est, aut quòd rem modò peractam significet, sed quo etiã nobis uera Christi communio significatur. Panis semper est panis: sed si ex ijs fueris, qui Christo ex animo uerè fidunt: pane quidem illo uescitur corpus, uerum anima Christi carne & sanguine uegetatur, non sola memoria, cogitatione & fide, sed re ipsa, & magno animi experimento & sensu. Qui edit meam carnem, inquit ipsa ueritas, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Et qui edit me, & ipse uiuet propter me. Quomodo autem hoc fiat, ne quæras, est enim Spiritus sancti, & fidei opus. Spiritus Christum mihi exibet, fides accipit, & intra animi uiscera recondit, quo totus homo Dei nutritur, & uegetatur.* M. *O Pasquille, quanto me gaudio afficis & perfundis? Vere*

enim te in cœlū ascendisse credo, & inde ista tam sublimia sensa reportasse. nam hoc sapere, non est humanum, sed planè diuinum. Lupum ego iam dimisi, & magno me fateor hodie periculo tua opera liberatum: quo de beneficio, Deo ago gratias immortales. P. *Quod ergo secta ista Vastallina, & tota natio Papistarum facit, in huiusce sacramenti negotio, propterea quòd à Christi instituto alienum est, & ab ipsa ueritate abhorret, id omne nihil est aliud, quàm execrandum idolū, & ipsa (ut usitato in religione uerbo utar) abominatio.* M. *Iam idipsum ego quoq; cogitabam, & nunc miror quî fiat, ut si qui sunt qui ista intelligant, in his tam impijs sacris maneant, eorumq; participes fiant, quod sine inexpiabili scelere uix fieri potest.* P. *Partim metu, partim gloria, partim cupiditate & dæmonum præstigijs retinentur: sed tamen Dominus suos seruare nouit.* M. *Omnia hæc tibi facilè assentior, & hanc Vastallinam sectam eò deteriorem duco, & alias omnes eius generis, quo sæpius sacramentū illud sumūt, atq; impijs sacris utuntur. Sed est'ne aliud de hac secta dicendum?* P. *Restat unum, quod maximè admiraberis.* M. *Quid illud est?* P. *Cum scire cupit quisquàm ne ad propositam puritatis metam euaserit, hoc pacto explorat. Iubet per me-*

diam

diam urbem ignominiosum aliquid, aut ridiculũ collo appensum ferre: puta ollam coquinariam, lebetem, aut matellionẽ, uel bouis, seu hirci, arietis'ue cornua, aut uestes præposteras, & indecoras. Interdum etiam reti inuolutos, aut seminudos, nonnunquam quoq; penitus nudos, seu illi uiri, seu mulieres sint, iubet incedere: nudos enim primos illos parentes primum fuiße ait: hinc folijs quibusdam pudenda tectos, mox semiuestitos, deinde crescente cum malitia pudore, totos pelli bus contectos: his uero, qui ad primam illam iusti tiam aspirant, diuerso & contrario modo agendũ, ut à uestibus ad nuditatem perueniãt. Quod si nihil pudeat, signum esse in paradisum iam esse translatos. M. *O insignem impudentiam?*

P. *Maiorem audies. Postremo Adamum cum Eua collocat noctu solos in lecto. Qui si nihil de arboris fructu decerpẽdo cogitaße dixißéue, aut patraße inuenti sunt (id enim inquiritur diligentißime) iã angeli facti putãtur, iam uita deorũ na ct. Sed si uetitos fructus, aut appetere, seu decerpere, uel gustare ausi fuerint, (pleriq; enim ita cũ Eua sua agũt, ut quæ uirgo cubuerat, mater post decẽ menses futura surgat) è paradiso eijciũtur, multantur uarijs modis, & ad perpetuos uitæ labores damnantur.* M. *Nescio utri magis insaniant,*

niant, hinc qui id patrant, an ciues & principes, qui ad hæc flagitia conniuent. Sed quando Vallæ istius uestalimas flammas nobis, institutũq; narrasti, dic & aliquid de Camella. P. *Camillam dixi.* M. *Ignosce: nam pene nomen ipsum exciderat, nisi camelli in memoriam ueuissent.*

P. *Error est non magnus. Camilla ista Pallauicina (audis nobilissimam apud Insubres familiam) primum non contenta suis natalibus, & propria claritate, regium quoq; sanguinem immiscet: nam se regis* Ludouici *tertij filiam prædicat.* M. *Quid ita?* P. *Ait regem cum in Insubria bellum gereret, cum sua matre congressum fuisse, ex quo illa fuit generata.* M. *Mirum mihi narras congressum, uerum minime cruentum. Sed, ut uideo, gaudet Camilla tanquam aliquo superbo titulo quòd ex stupro sit generata, & notha.* P. *Ita uidetur: nec iniuria. nã sunt hodie qui affirment præstare nothũ aut spuriũ esse, quàm ex legitimo connubio natũ, quod fecit iuuenis quidã Mediolanẽsis in suis Italicis paradoxis.* M. *Doleo, præclara alioqui ingenia in eiusmodi nugis bonũ otiũ terere, quod melioribus poßet impẽdi. Sed quid facit ista Camilla?* P. *Saltat & ipsa, modo huc, modo illuc, religionis prætextu.* M. *Cuius'nã religionis?* P. *Nullius alicuius, sed suæ unius. Fœminas enim*

Camillæ Pallauicinæ institutum.

enim tres secum habet, eiusdem imposturæ & superstitionis socias, non habitat in monasterio aliquo, ut monachæ faciunt, sed in priuatis ædibus, quas sæpe mutat, pro mentis (ut fœminæ sunt) inconstantia. Amœnitate loci gaudet, sed quisit extra hominũ frequentiã: & si nihil magis quàm hominum frequentiam amat, tantaq; ianua & uestibulum eius quotidie frequentia mulierum, ac summorum hominum splendore celebratur, ut domus iurisconsulti, uel potius oraculum ciuitatis esse uideatur. Vsque adeò mortales insaniunt, ut splendore superstitionis, & ficta sanctitate potius, quàm uera, atq; humili religione trahantur. Interdum quoq; ligneo se quodam cubiculo includit (quod Papiæ factitabat maximè) tã angusto, tamq; obscuro, ut sepulchrum potius, quàm cubiculum uideri poßit: hoc uerò se facere dicit, quò familiarius angelicis fruatur cõgreßionibus. In die, quæ appellatur Veneris, neminem ad colloquiũ, aut conspectum admittit. ait enim se tunc totam in Christi cruce, & clauis meditandis occupatam esse, ex qua meditatione ait se quinq; Christi uulnerum notas, quæ stigmata uocant, traxisse. M. Quid audio? Catarinæ Senensis, aut Francisci Asisiatis Simiam narras. P. Videlicet Francisci uxorem: nam & Franciscanos quasi filios imperius

sius adamat, eamq́; sectam cæteris omnibus præfert, quin & ueste Franciscana tegitur libentissime. Adhæc fasciolis manuum uolam, & pedũ obuinctam gestat, ne scilicet oculis mortalium pateant stigmata, quæ à solis angelis conspici digna existimat. M. *Sunt igitur omnino stigmata.*

P. *Nescio, dicam tamen quod facetè, & fortasse etiam uerè* Legatus *regis Galliæ, uir præclarus, dicebat.* M. *Id audire cupio.* P. *Cum incidisset sermo de huiusce Camillæ stigmatibus, quidamq́; dixisset, sibi mirum uideri, quòd ea tegeret: tunc ille, miraris ergo, si quis rem pudendã tegat? quid si morbi, quem gallicum uocant, signa euidentia, & notæ sint? qui morbus in eis locis maximè solet sua signa edere: quanquã & in fronte, sed non pariter, nec uno modo in omnibus.* M. *Quid ille bonus uir ad ista?* P. *Attonitus obmutescere.* M. *Credo: nam & ipse quid ad hæc respondeam, nescio, nisi illa ipsa stigmata, humana industria, aut potius diabolica fraude sunt facta: ut* Bernæ *apud* Heluetios, Dominicanos *cuidam bono uiro factitasse audiuimus.* P. *Vera narras, nam & ipse, cum pontifici* Iulio II. *nũcium esset allatum, id accepi. (quanquam luculenta, & fideli historia ea res edita extat) quod tamen ab illis impune factum non fuit, nam quatuor eius ordi-*

F nis

nis uiri, qui tanti sacrilegij, et aliorum conscij fue rant, uiui combusti sunt, idq; antequā Berna receperet Euangelium. Fuerunt enim semper *uiri illi fraudum, & omnis imposturæ inimici, quos si* Venetiarum *principes imitarentur, diligentius re ligionum fraudes, & technas inquirerēt, & falsa miracula, & præstigias hypocritarum cognoscerent, multaq; detegerēt, quæ totam urbem illam, alioqui præclarißimam, irretitam & captiuam te nent falsa & diabolica religione.* Neq; Veneti *mo dò, sed etiam reliqua* Italia, Gallia, *& aliæ oræ, quæ nondum ad* Euangelij *tubam circumsonantem aures præbere uoluerunt. si hæc curare uellent, & officio suo functæ, atq; optime de* Republica Christiana, *deq; uera religione meritæ eßet. Verum quando de uirginibus & uiduis satis pro tempore dictum, gradum ad reliqua facere tempus esse uidetur.* M. *Vt placet: nam ego hanc ti bi noctem, quàm longa est, totam atq; huic sermo ni dicaui.* P. *Tertiam regionem habitabant con*

Chorus confessorum. *fessores, magna & confusa turba, uarijs ritibus & moribus. Nam quidam tres coronas gestabāt, quidam pauciores, quidā mitras, quidam galeros, quidam tonsi uisebantur, semitonsi quidam, quidam castrati, alij ualde coleati, uariè colorati uo lui, alij uirides, alij cærulei, alij rubri, alij ruffi, al bi,*

bi, atri, et quis fando omnes posset enumerare? In summa, singuli aliquid peculiare habebant, ut ab alijs diuersi uiderentur. M. *Quid iste tam uarius chorus moliebatur?* P. *Non satis scio: sed quantum cōprehendere potui, magna & ipsi solicitudine afficiuntur.* M. *Quarū rerū quæso?* P. *Ne à suis cultorib. deserantur, aut clientibus.* M. *Quid audio? næ infirmi sunt dij, qui mortales timent.* P. *Ne hoc uideatur tibi mirū à mortalibus facti sunt: Iccirco tales deos oracula diuina appellant opera manuum hominum.* M. *Sed cur appellati sunt confessores?* P. *Quia uitam totam audiendis confessionibus, aliorumq; peccatis, aut confitendis suis, ut uulgò fieri uides, consumpserunt.* M. *Rides Pasquille?* P. *Rideo, sed quid uetat ridentem dicere uerum?* M. *Putaram confessores dictos, quòd Christum uita, doctrina, et rebus pro Christi gloria præclare gestis, procōfessi essent.* P. *Erras, nisi confiteri & credere Papā esse caput ecclesiæ, & humanis meritis salutem adscribere, putas esse Christū Iesum profiteri. At id non extat in Symbolo, quod uocant, Apostolorum.* M. *Video iam, à te doctus, hoc potius esse negare Christum, quàm confiteri. Verum, quid? tu mihi uideris confessionem irridere, tam sanctum uidelicet ac necessarium opus.* De confessione.

P. Ego irridere confeßionem, qui confiteri sæpißime soleam? nón ne modo ipse dicebas eos esse uere confessores, qui cum sanctis uerbis, tum actionibus Christum confitentur, & profitentur ipsum? M. Ita, & ex eo arbitrabar confessores appellatos, de qua confeßione magistrum ipsum
Matth.5 intellexisse puto, cum diceret: Sic eluceat lux uestra coràm hominibus, ut glorificent Patrem ue-
Matth.10 strum, qui in cœlis est. Et illud: Qui me confitebitur coràm hominibus, confitebor & ego illum coràm patre meo. Verum equidem de illa confitendi ratione quæro, quæ sacramentalis & auricularis dicitur, quæ sacerdoti seorsum fit, à quo accipitur absolutio peccatorum. P. Longum esset ad omnia, quæ tu quæris, respondere: sed tamen paucis ipsam quæstionē profligabo. Censen' Christum absolutè sapientem extitisse? M. Censeo, & quidem ipsam sapientiam. P. Et illius doctrinam absolutam & perfectam? M. Quidni? cum Deus sit, cui imperfectionem ullam sine graui scelere adscribere nemo poßit. P. Ergo nihil in illius doctrina, quam nobis per Apostolos suos tradidit, desiderari potest? M. Nihil, quod ad bene beateq; uiuendum, quodq; ad immortalitatē assequendam pertinet. P. Cum igitur ille nihil de ista auriculari confeßione tradiderit, ad beatitudinem

tudinem ea necessaria non est. M. Hoc est quod *quæritur: nam quidam eam iure diuino constare affirmant, pleriq; constanter negant.* P. Nefas *tamen est te à iuratis tuis, & receptis magistris recedere: perspicuum enim tibi esse arbitror, quid Panhormitanus ille tuus scripserit.* M. Scio, ille *negat talem cōfeßionem in diuinis literis expresse contineri: & Græcos nunquam hæreticos habitos à nostris ecclesijs, quòd hanc confeßionem non recepissent: erroris autem, & impietatis fuisse damnatos, si Christi præceptis contineretur. Verum hodie à Papa damnantur, & hæretici habentur, qui eam reliquerunt, & iuris diuini esse negant.* P. *Condemnantur etiam ab eodē quòd unicum seruatorem, redemptorem, & aduocatū Christum confitentur, quo nihil apertius in sanctis scripturis esse potest. Quare non mirum, si eos damnāt, qui humana decreta pro diuinis placitis neq; recipere, neq; retinere uolunt.* M. *At in sacris scripturis tamen uidetur esse præcepta, eo præsertim loco (ut alios omittam, qui parum urgere uidentur) ubi ligandi & soluendi, remittendiq; peccata, aut absoluendi potestas ecclesiæ traditur. Quomodo, inquiunt, remittet peccata, nisi audierit peccatorem? & quomodo soluet, ni agnouerit uinctum?* P. *Si credis* Euangelio, *re-*

missa tibi peccata sunt, absolutus es: sin uero non credis, ligaris, & audis te adhuc in peccatis, mancipiumq; peccati & diaboli esse. An non hoc est ligare & soluere, remittere, & retinere peccata? nihil opus est alios tua nosse flagitia, satis est, si tu ipse coràm Deo agnoscis, si naturæ uitiositatem & pondus sentis. Lego mulierem illam flagitiosam, ingemuisse, atq; audiuisse, remittuntur tibi peccata tua: flagitia recensentem & enumerantē nō lego. Detestare & tu peccata tua, crede Euangelio, & tibi condonata sunt. M. Quid? nónne
Iacobi 5. sanctus Iacobus apertè dicit: Confitemini inuicem peccata uestra, ut saluemini? P. Quod Iacobus dicit, illud est, quod & magister ipse antea de fraterna concordia præceperat: ut si quem læsimus cum nobis reconciliare studeamus: at id fieri non potest, nisi qui læsit, se peccasse ei quem læsit, fateatur. Hæc est illa uera Christianorum inter se mutua confeßio, & reconciliatio, quam Christus omnibus sacrificijs, & alijs omnibus sanctis actionibus præfert: nihil hic opus sacrificulum conuenire, conciliandus qui offensus est. Quòd si Deum solum, non etiam hominem læsisti, cum Deo solo tibi negotium sit, quando is solus est qui peccata remittit, qui sanat animam ægrotam: nemo tamen uetat quin hominem bonum, & sapientem consulas,

consulas: ut in corporis, sic in conscientiæ morbis, modò ne quicquam superstitionis admisceas. At nos contemptis ueris et sanis Christi consilijs, & iussis, nescio quam simulatam confessionem, seu potius confusionem humana uoluntate introductam recepimus, & tenemus: Sed Christus omnia hominum inuenta propediem, quasi folia, conturbabit, & spiritu dissipabit suo. M. *Scrupulū exemisti, & paucis rem maximam, & implicatā explicasti.* P. *Placet igitur ad reliquos transcamus choros, quando confessores ipsi satis sunt suis confessionibus noti.* P. *Verum, sed in eadem regione confessoribus permistos etiam Doctores uidimus.* M. *Nomina retinuisti?* P. *Vix, Marsori, tam erant uaria, & barbara: nam quidam dicebantur magistri nostri, quidam nostri magistri, quidam rabini, quidam reales, quidam nominales, quidam subtiles, quidam illuminati, quidam Cherubici, quidam Seraphici, quidam Ecstatici, quidam etiam credo apostatici atque lunatici. Præterea uero horum nomina propria erant uaria, ut Holcot, Briccot, Triccot, Scot, Capreolus, Zabarellus, Lira, siue mauis Delira, aut potius Delirus, Hoccam, Barbatius obscuri omnes, uerum seculi ignorantia aliquando clari.* Doctorum chorus.

M. *Bone Deus, quos mihi doctores narras, quo-*

rum nomina sunt ipso penè timēda sono: Sed quid nam isti agebant? P. *Omnes satagebant, ut ex utroq; testamento eorum cœlum impleretur. Vidi hic diuum* Gregorium, *& post eum* Papas, *qui conductis quatuordecim baiulis decimas ex ueteri testamento in nouum importabant: deinde etiā mitras, infulas, sacrificia, oblationes, suffumigia, lumina, & omnia ferè, quæ in ueteri templo fuere.* M. *Non abducebant uxores ueterum patrum?* P. *Non, sed eorum ancillas: nam uxores negabant ad nouum testamentum pertinere:* M. *Hinc igitur est quòd hodie passim pro uxoribus habent concubinas, quòd ad eos uxores non pertinent, meretrices & cinædi pertinent.* P. *Sic opinor. In summa uidi totum uetus testamentum, excepto sacrosancto coniugio, ad nouum deportari.* M. *Hæc fortè est causa cur tot Iudæi hodie tam facile fiant Christiani.* P. *Est sanè, & plures erant accessuri, nisi suis bonis, uel pontificio decreto expoliarentur. Scis enim nullam gentem auaram magis, & pecuniæ amantiorem esse, quàm Iudæi.* M. *Sed nouum testamentum, quod peranguftum est, potuit'ne tantam rapinam capere?* P. *Potuit: sed ea authoritate: Qui extendit cœlum sicut pellem. Cœlum est Euangelium, quod, sicut sutor dentibus corium trahit, & extendit*

tendit. sic magistri nostri id suis somnijs seruire cogunt. & ut semel dicam, sit magna ui & locus, & uia. M. *Sed cum adducerentur pontifices, ex ueteri testamento, & essent iam in nouo collocandi eo loco ubi dicitur,* Episcopus *sit unius uxoris uir, quid actum est?* P. *Tu tecum existima quantum sudatum sit. nam uult hic Paulus omnino,ut* Episcopus *habeat unam uxorem,ut scilicet dematur omnis male suspicandi occasio.* Et *cum hic omnes essent solliciti, interuenit magnus quidam* Abbas, *qui,audite patres, inquit: an nescitis uxores ex testamento ueteri in nouū traduci non potuisse? Quare, necessum est ut beneficia,& sacerdotia uxorū loco substituta putemus. Quamobrem,illum locum sic uolo construatis:* Episcopus *sit unius uxoris uir, id est habeat ad minus unum beneficium,eaq́; ratione nostro* Episcopo *locus erit: quod autem ad reliqua spectat, de quibus uos esse ualde sollicitos scio, non habeat inquit, unam, qui potest habere plures.* M. *O solertes doctores. Sed uidisti ne hic alicuius nominis uiros.* P. *Vidi, quos si tibi numerarem, non posses credere, unum aut alterum breuitatis causa nominabo.* Ibi Thomas Aquinas *reparabat disputationem suam de* Dulia, & Hyperdulia. M. *Memini illius disputationis: est admodum subtilis.* P.

1. Tim. 3.

Thomas Aquinas.

Quis neget subtile esse hominibus persuadere, sub forma diaboli posse Christum adorari? nimirum si cum illa imagine diaboli Christum in tua tibi mente fingas: & non diabolum, aut lignum adores, sed Christum, quem ex ligni & imaginis illius figura tibi proponis. M. *Sed quomodo hoc fieri potest?* P. *Qui potest fuit olim boue oblato,* Deum *mente concipere, atq; eum sub imagine bouis adorare? putás ne homines unquam fuisse tam stultos, ut bouem,* Deum *esse crederent? Et cum nulla esset similitudo bouis &* Dei, *tamen ex imagine bouis illi* Deum *mente concipiebant, & conceptũ adorabant.* Et *hæc est illa subtilis* Thomæ *hyperdulia, ut* Deum *componas cum ligno, et lignum quasi* Deum *adores, sicut* Iudæi *bouẽ pro* Deo *coluerunt.* M. *Intelligo subtilem opinionem, sed parum Christianam.* P. Et *tamen sic defenditur hodie, ac si fidei nostræ articulus esset.*

M. Non *falsum dicis.* P. A' Thoma *nõ procul eius magistrum sedentem uidi, cui sui ordinis reliqui assurgebant.* M. *Qui uocabatur?* P. *Audire mihi uisus sum* Albertum Magum *appellari.*

M. *Hunc ego quis sit, nescio.* P. *Puta illum sanctum doctorem, qui de secretis mulierum tam profundè disputauit.* M. *Non bene intellexisti,*
Albertus Magnus. *Albertũ Magnum dicebant, qui & idem scripsit de*

de mirabilibus mundi. P. *Fieri potest ut fallar, nam neq; ab re magnus fuit appellatus. fuit enim doctor mirabilis,& ut aiunt magnus Magus.*

M. *Quid uero cum eo agebant sui ordinis homines?* P. *Rogabant ut susciperet legationē ad Coloniam Agrippinā.* M. *Qua de causa?* P. *Quoniam ibi Episcopus nimium fauere Euangelio diceretur, quòd uerū pastorem agat, quodq; intellexerunt bonum senem unà cum Buzero, Melanthoneq; suam ditionem & Ecclesiam ad Euangelicam formam instituere.* M. *Quid autē illic magistrum Albertum moliri uolunt?* P. *Vt scilicet tam sanctum opus, si quomodo poßit, impediat, uerū rem actam agunt: nam, quanquam Colonia ipsa nonnihil resistit, tamen oues tandem bonum Pastorem sequentur, ne, quod aiunt, cōtra stimulū calces.* M. *Eiusmodi hominibus opus est his, qui bus ab istis dijs adhuc illusum est. Sed uidisti ne quenquam ex nouis istis?* P. *Quos nouos ais?*

M. *Roffensem, Eccium, Pighium.* P. *Roffensis est martyr, non solum doctor, quare in choro martyrum uidebimus. Ioannem uero Eccium ac* Eccius. *Pighium non uidi, puto eos adhuc in suo purgatorio, pro quo tam acriter pugnarunt, detineri.* Pighius.

M. *Est'ne hoc defensi purgatorij præmium?* P. *Vtinam nō in gehennā æterni ignis conijciantur*

(quando

(quando defendi purgatorium istud, sine Christi iniuria non potest, qui purgatorium pertinaciter defendunt. Ita accidit his, qui tyrannorũ crudelitati subseruiunt, ut & ipsi pœnas suæ ipsorũ impietatis pendant, id quod Perillo euenit, quem tyrannus in tauro æneo subiectis flammis, quod ipse faciendum docuerat Perillus, mori mugitus falsos edentem coëgit. M. Ergo non putas eos aliquando huc conscensuros, & inter cœlites referendos? P. De Pighio non ausim dicere, quòd is sua facundia, eruditioneq; nõ uulgari ab his dijs magnopere colitur: Eccium uero nõ arbitror unquam in cœlum posse cõscendere. M. Cur'nam isthuc? P. Quia pinguis eius aqualiculus propẽ so sesquipede extans, impedimento fuerit. Iam tu Marfori physicum illud pronunciatum non ignoras: grauia omnia ad centrum suapte natura, deorsumq; descendere, quam rem ostendere uoluit quicunq; is est, qui hoc Epitaphium in Eccium lusit, quod ad me nuper missum fuit:

Eccii Epitaphium.

Qui uino, & dapibus uentrẽ, linguamq; ueneno
 Pauit, conditus hic Eccius ecce iacet.
Quas habeat sedes animus, ne quere uiator,
 Huic Deus atq; animus, uenter & esca fuit.

M. Elogium sanè facetum, & tali aqualiculo dignum. Quo magis autem id quod dicis credam, facit

ficit quòd uidebam Leonem decimum abdomine tam inertem & grauem, ut uix tres gradus in Palatio S. Petri posset per se ascendere. Ex quo concludo multo minus eum in cœlum potuisse euolare, præsertim nullis præditum alis. P. *Rectè ratiocinaris à minore ad maius, per negationem.*

M. *Expectantur'ne in hoc cœlo alij doctores?*

P. *Audiui nescio quid de Costazzaro quodam, & Cornelio Franciscanis* M. *Quid dicebant?* Costazzarus.

P. *De Costazzaro quidem hoc audiui, eum male audire apud hosce deos, quòd interdum fraudē Papæ, hoc est Deo suo facere soleat.* M. *Quónam id pacto?* P. *Rem gestam narrabo. Spoleti cum aliquando per quadragesimæ tempus conciones haberet, cum Ceretanis, id est publicis & famosis impostoribus, quibus ea ciuitas abundat, de præda partienda conuenit, atq; ita falsas bullas indulgentiarum Clementis septimi nomine publicauit, quibus impunitatem, & remissionem peccatorum omnium, certum pretium numerantibus, pollicebatur. Ac ut hominis astutias & fraudes agnoscas, nō prius rete indulgentiarum proiecit, & expandit, quàm medium quadragesimæ tempus esset exactum, ne scilicet longior mora post publicationem technas retegeret. Interea uero retetrabit, in quo aureorum pisciū uis magna erat.*

Tandem

Tandem ciues Spoletini homines nasuti, fraudem senserunt. Quod ille contrà cum subodoratus esset, insalutato, ut aiunt, hospite proripuit sese, pisces asportauit, retia reliquit. M. *O piscatorem artificiosum. Sed quid tandem de eo decreuerunt?*

P. *Ista condonare, modò impius Costazzarus esse pergat ut hactenus fuit, unum tamen caue*
peius & angue fugiat, ne pontifici deinceps frau-
Cornelius. *dem faciat.* M. *Quid de Cornelio?* P. *Vt Spiram ad comitia Cæsarea mittatur, impediturus ne quid sancti & sinceri de Religione decernatur.*

M. *Cornelium κακεξία non sinet interquiescere, donec in periculosissimam φθίσιν abierit.*

P. *Ita est: nam & ego audio illum iam tussire frequentius, & pus excreare, interdum cruentũ aliquid.* M. *Sunt'ne alia signa?* P. *Vnum est indubitatum & certissimum, quòd, quicquid excreatum est, si in ignem imponitur, mali odoris est.* M. *Num potest medicorum opera & auxilio sanari?* P. *Non potest eorum, quibus utitur adhuc.* M. *Optimis ergo non utitur?* P. *Imò pessimis, uidelicet Thoma Aquinate, Scoto, Eccio, Roffense, Pighio, & indocto Caietano, &, quod medicis ipsis uetitum est, se medico ipso utitur.* M. *Tu semper Pasquille aliqua allegoria ludis. Cornelius igitur, ut uideo, animi morbo labo*

rat,

rat, non corporis. P. *Vtroque.* M. *Qui hoc fit?* P. *Phthisi totus Cornelius infestatur quantus quantus est, nisi quòd morbus animi periculosior est morbo corporis.* M. *Quónam pacto?* P. *Malus habitus falsæ et Pellagianæ doctrinæ, tussis ambitionis, excreatus cruentarũ concionũ atq; sermonum, excreatus ipse in ignem Euangelicum impositus mephitim tristissimã olet, an non hæc signa sunt mortem uicinam testantia?* M. *Prorsus, quando lingua est illi uenalis, & leuissima mitra, exiguoq; cibo addixit Papæ linguam illam suam futilem, & petulantem, & meretriciam. Quid illo fiet?* P. *Sinetur, donec tabescat, & sordescat, magis & magis: quare ad Martyrum societatem transeamus.* M. *Fortissimorũ pectorũ collegium narras.* P. *Verũ, sed ut eos à ueris martyribus diuersos scias, truces eos atque indignabundos uidi, adeò ut quod olim passi dicebamur, in miseros mortales immittere cogitarent. Hic Antonius suum semper fulmẽ procudit, Rochus pestem, Sebastianus crudelia tela, Apollonia dolorem dentium, Christophorus tempestates, alij alia dira cogitabãt.* M. *Quos mihi martyres narras? seu potius Martes, aut mortes? audiuerã hos istis morbis potius occurrere. Sed quid est emolumẽti ex ista barbarie?* P. *Quid cogit te ut* Chorus Martyrum.

ut tanti æstimes pontificem? M. *Formido: nam solet igne & gladio excipere, qui suam aut horitatem uel minimùm minuūt.* P. *Debebas aquas addere: nam his tribus argumentis flamma, ferro, flumine solet nodos religionis omnes & questionum soluere: at si hanc potentiam non haberet, quanti eum faceres?* M. *Equidem non magni.* P. *Ergo, concedis potentiæ formidinem tanta inter homines posse, ut ex homine Deum faciat.*

Tria Papæ argumenta.

M. *Concedo, nam & primus in orbe deos fecit timor, ut quidam dixit: sed ergo uis'ne tu eos hac sæuitia uti, quo se uerendos & adorandos mundo prostituant?* P. *Maximè, ut uere Vcioues appellari poßint.* M. *Sed quis istis in homines tantam potentiam conceßit?* P. *Deus magnus, qui hæc mala immittit per hosce deos, id est per angelos malos.* M. *Dic apertius.* P. *Si homines relicto uero Deo, fonte uiuo, ad cisternas putridas, & alienos deos confugerunt, nónne æquum est, ut à Deo relinquantur, deorum, quos elegerunt, arbitrio?* M. *Videtur esse æquum.* P. *Si igitur ego Rochum, aut Sebastianum, aut Antonium in meis malis mihi deos constituam, & rogē eos, ut mala auertant, & uerear eorum plagas, quid nisi me ipsorum mancipium esse profiteor?*

M. *Non ita Pasquille: sed oramus nos, ut ipsi*

apud

apud deum nostram causam agant: denique ut potestatem, quam à deo acceperunt, ut mala immittant, in nos exercere nolint: aut si immissa sint, auferre dignentur. P. Concedemus tibi hoc, sed censes ne deum iam senio confectum, non posse amplius administrare, ut potestatem & regnum suum sanctis diuiserit? Deniq; cum oras diuum Rochum, non ne persuades tibi illum misericordiorem Christo esse? nam alioqui ab ipso peteres Christo. M. Maximè. P. Sed cum hoc facis, an non facis iniuriam Christo? M. Nescio. P. Nescis? quæ est iniuria, si hæc iniuria non est? hominem, qui aliquando genitus in peccatis, & peccator fuit, quiq; misericordia dei per Christũ salutem adeptus est, præferre Christo? cui pater dedit omnem potestatem in cœlo, & in terra, qui & se aduocatum pro nobis obtulit patri? quæ insania quæso est, relicto tam misericorde Domino, tam benigno & liberali patrono, tam potenti aduocato, in quo solo se oblectat deus pater, deo, & iq; filio secedere ad quosdam, quos an unquam in cœlum conscenderint, nescias? At q; utinam hodie altaribus non insideant, & miracula faciant, quorum animæ cruciantur in gehenna. M. O Pasquille, quò magis tecum loquor, eò magis meam illam tam crassam ignorantiã intelligo, nunc

demum me piget temporis tam male collocati in Ioanne Andrea, peculatore, erraui, debuerat S, præponi, quòd ego sibilare non potui. P. *Acci pio. speculatorem dicere uolebas.* M. *Ita uolebam, sed dic quæso: Antonius & Rochus, quorū paulò ante memineras, sunt ne martyres?* P. *Oportune quæris: nam idem & ego miratus sum, cum in hoc choro uersarer, tamen uti sum paulo curiosior, cum rationem huius rei quærerem, responsum est martyrium non passos quidem, sed impense desiderasse, omnesq; peragrasse urbes ut Domino offerentur, nec inuenisse qui occide-*
Rochus stupeus. *ret. De Rocho ab his esset noscendum, qui Venetijs Rochum stupeum pro carneo, uero q; Rochi cadauere adorandum seruant: rem ita se habere nulli melius norunt quàm franciscani (ipsos Rochi confratres semper excipio) magnam domum habitantes. Certe de Antonio miror eum in illis magnis religionis cōflictibus inter crudelißimos Diocletianos, & Maxentios nullam martyrij occasionem inuenisse: certe si hodie uel in hac urbe tale quid effutias, quale inter nos serio nunc confabulamur, martyrij extemplo palma tibi decer-*
S.Christophorus. *netur.* M. *Sed hunc tam uastum Christophorum uidistine? illum ibi oportebat separatas ædes & altiores alijs habere.* P. *Rectè censes: & id*
circo

circo in foro, in aliqua turri pingi solet, quia Poliphemus iste tectus capi non potest, & ita ipsum in hoc cœlo uidi. Sed cum mirarer tam uastum gigantem, quæsiui ex meo genio, num ille unquam in terris extitisset, me mirari quòd nulli ueterum historiographorũ, qui res Romanas et totius Orientis tam curiosè descripsissent, istiùs immanis gigantis meminissent. M. Quid ad hæc genius? P. Subrisit, deinde, ne tibi (inquit) persuadeas, Pasquille, hunc tam uastum gigantem unquam fuisse, sed ueterum & sapientißimorum, crescente iam republica Christiana, esse inuentum, qui totũ christianũ hominem & uitam eius omnibus exponere uolentes, in una imagine omnia complexi sunt, quocirca et eius effigiem uocauerunt Christophorum, quòd ununquenque Christianum, qualis esse deberet, ostenderet. Nam Christophorus nihil aliud sonat, quàm Christibaiulus, aut Christiger. Hunc fingũt primo seruijsse mundo, & aulicũ faciunt: nam nulli æquè mundo seruiunt, atq; ij, quos Romana curia Curtisanos appellat, deinde Diabolo: facilis enim ex aula ad seruitutẽ Diaboli descensus est. Postea desiderio ueritatis extimulatũ reliquisse utriusq; seruitutem, & ad quendam eremitã, qui lucernã Euãgelij manibus gestat, diuertisse: & ab eo ueritatem atq; in

stitutionem Euangelicam didicisse. Ea fuit, ut miseris hominibus in traiectu maris & fluctuum, id est huius mundanæ uitæ, quæ semper fluctuat perturbationum æstibus, in omni charitate seruiret, & suam operam accommodaret: finxerunt gigantem, quia oportet Christianū hominem fortem & robustum esse aduersus tot maris huius monstra, quæ nos tenere, obruere, demergereq́; tentant. Verum noster gigas prælonga, atq; robusta pinu nisus, impetus fluctuum, & periculorum superat, hac arbore fidem ratam, firmamq́; adumbrat, quæ tametsi primum arida apparet, post tamen odoratos, & suaues flores ac fructus profert: quia fides est bonarum actionum procreatrix & parens. Finxerunt noctem fuisse, cum sua munera obiret, sed tamen lumine destitutum non fuisse: nam senior ille eremita lucernam præfert ad littus: littus est huius uitæ lucisq́; (quæ uerius nox appellanda est, quàm lux) terminus ad quod cum peruenerimus, lucis diuinæ usura æternum perfruemur. Interea tamen et illius lucis portiuncula utimur, dū doctrinam cœlestem, quam à raro quopiam doctore, & ab huius mundi cupiditate, atq; ambitione semoto perceptam, & spiritu firmatam retinemus. Ac postremo sacculum habet ad latus in modum retis annodatū, in quo

panem

panem unum, & piscem habet, ne putet Christianus uir se ad diuitias et uoluptates natum, sed existimet sibi in diem esse uiuendũ, & de futura uita cogitandum: illud quoq; significans deum necessario uictu suos in hac uita non fraudare, qui & pullis coruorum cibum subministrat: & hac de caussa ueteres duo carmina ipsius imagini, quam pleruncq; ante templa depingebant, ut omnibus intrantibus essent obuia, affixerunt, quæ sic habent.

Christophori molem sancti qua luce uidebis,
Mors poterit nunquam sæua nocere tibi.

Quibus nihil aliud significabant, quàm quicunq; illa die meminisset sui officij, & qualis esse deberet idq; animo præstanti, æterna morte non posse perire: & fuit istud nihil aliud quàm Christianorum γνῶθι σεαυτὸν: et huiusmodi imagines dicebat dux meus olim à Nicæna Synodo esse probatas, non ut prostarent ad cultum, sed ut ueluti emblemata, & argumenta rerum magnarum & utilium essent, cum ipsæ imagines alioqui nihil omnino sint. Pari modo dicebat antiquitatem etiam alias imagines effinxisse, quæ totam alicuius rei historiam referrent, & idem accidisse de Georgio, qui Christi uitam nobis depingebat. Nam fertur Cappadociam, in qua olim serui plu S. Georgius.

rimi erant, ab noxiam fuisse uasto draconi, qui eius regionis homines deuoraret: cumq; uentū esset ad filiam regis, eaq; periclitaretur, interuenisse Georgium equitem præstrenuū, qui occiso dracone uirginem regiam liberauit. Dicebat hic Cappadociam mundum significare, in quo paßim magno illi draconi, id est Diabolo, seruitur, qui ad unum omnes deglutiebat. Regis autem filiam perdere cum uellet, quo nomine Ecclesia sponsa Christi in sacris notatur, affuisse Christū, militem fortißimum, qui non sine sudore & sanguine eam seruarit, & sic multas mihi imagines explicabat. Possem tibi ostendere multos antiquos deos, eodem errore ad nos sub alijs nominibus esse translatos. Sancta Lucia olim Lucina erat, nisi malis pro Lucina nos Mariam uirginem colere, quam parturientibus præficimus, ut illi Lucinam. M. Ergo Iunonem adoramus. P. Non puto aliud. sic & olim Romæ Pantheon erat, & templū Mineruæ: ac illud ex templo ominum deorum, factū est templum omnium sanctorum, & templum Mineruæ, templū Mineruæ uirginis, tametsi pro uetere illa Minerua studiorum præside, & sapientiæ, Catarinam suppofuisse uideantur, quemadmodum & pro Appolline alij Nicolaum, alij Hieronymum receperunt. M. Recte: nam Pallas est

habita uirgo. P. Sic hodie Mineruam, Iunonem, Polyphemos, & Hercules, & totum illum deorum populum sub nomine sanctorum adoramus. M. Isti sententiæ non possum non accedere: nam memini me legere istas duas historias esse suspectas, apocryphas, & nunquam ab ecclesia receptas: licet monachi hodie omnia in suum quæstum uertant, partim dolo malo, partim ignorantia. Si ita est, ut credo, quantis mendacijs Iacobus de Voragine, et Antoninus Florentinus ac eiusdē farinæ alij referti sunt? qui nobis non historiam, quæ lux ueritatis esse debet, sed Lucianicas narrationes: non uitas hominum, sed falsorum deorum mendacia stylo barbaro, & odioso sermone tradiderunt? P. Sunt & multa alia, quæ si proderentur ab aliquo, totus mundus stuperet. M. O felicem illum diem, quo è tenebris elucescet omnis ueritas. P. O fœlix seculum, quòd re ipsa nudam ueritatem amplectetur? Quoties illa iam se mortalibus obtulit, & si à stultis mortalibus cōtempta, nec id sine suorum præconum grauißima iactura? M. Fateor, sed nec contemptores id auferent impune tandem. quamobrem istis relictis, ulterius, si placet, progrediamur. P. Faciam, si prius pauca quædam, quæ uidi & audiui, narrauero. M. Narra, Pasquille. P. Quendam in

hoc cœlo uidi sui ordinis homines monentem, ut abstinerent ab hæreticis inquirendis, nisi dare pœnas uellent. In se respicerent, quem ultio diuina comprehendisset, propterea quòd in eos crimen hæreseos intendisset, quos non bene norat, & ea damnasset, quæ ipse semper ignorasset hæreticos, si qui essent, docendos & monendos esse, non tormentis & crudelitate afficiendos non esse omnes hæreticos, quos illi pro hæreticis haberent: eos demum hæreticos esse, qui contra scripturam sanctam aperte sentirent, quiq; diuinis contemptis decretis, hominum commenta & doctrinas pro diuinis defenderent, aut etiam preferrent diuinis: diuina uero ea sola & certa esse, quæ ueteri et nouo testamento continētur. Se hoc ad tribunal Christi didicisse. Quòd si non crederent, fore ut illos pœniteret, & diem Domini omnia patefacturū. M. *Quisnam hic tam bonus orator?* P. *Hic Ioannes ille Roffensis erat, quem duo martyres circunstabant: Petrus Martyr eorum ordinis, qui se prædicatores faciunt.* M. *Prædicatores Pasquille.* P. *Semper hic erro. Alterum Thomam Cantuariensem appellari puto qui ambo Roffensis orationem confirmabant.* M. *Sed erát ne Roffensis rubro galero, & pileo caput uelatus?* P. *Rubebat quidem illi caput,*

atq;

atq; humeri, non pileo, sed sanguine & cruore. M. Atqui aiunt à Papa galerum illi transmissum & donatum. P. Verum, sed rex Angliæ ut hoc audiuit, Roffensem capite obtruncari iußit, antequam ille pileum, cardinalis insigne, acciperet. Id quod diuina prouidentia effectum crediderim, ut bonus alioqui & doctus uir, priusquam meretricis Romanæ, & purpuratæ detestandū munus acciperet, ex hac uita discederet. Papistæ tamen, quia uisus est pro suæ causæ defensione (scripserat enim nō pauca contra Lutherianos) mortem oppetere, eum in numerum diuorum, & martyrum suorum priuatis sententijs retulerunt. M. Factum bene: nam neq; pro meliore, à deo caussa (quantum ex eorum gestis apparet) aut Petrus Martyr, Dominicanus in Italia, aut Thomas Cantuariensis in Anglia occubuere. Ille enim dū rusticos simplices, quasi hæreticos, nimis pertinaciter persequitur, inter Mediolanum & nouum Comum occiditur: Hic acerba de possessionibus orta inter ipsum & regem Angliæ contentione, imminutæ maiestatis crimine cōdemnatur. P. Ita sunt Papæ martyres: sed pergamus. Ab hoc choro duxit me angelus ad chorum Apostolorum, & Euangelistarum. M. Iam uideo nos ad cæli huius penetralia sensim accedere, quandoqui

Chorus apostolorum. dem ad Apostolos uentum est, & gaudeo non mediocriter: nam tu hic mihi illud aperies, sint'ne duodecim Apostoli, an plures. Si enim Paulus Tharsensis uerus fuit Apostolus (ut alios omittam qui ab eo in suis epistolis Apostoli dicuntur) iam tredecim Apostoli esse uidentur. P. Hæc quæstio poterat reijci in eas, quas Paulus ipse inutiles, & superuacaneas appellauit. Verum ut Marforio meo satisfaciam, bifariam respondebo. Primumq; igitur te illud meminisse oportet, nos in cœlo papistico esse, non Christiano, ubi omnia sunt præpostera, & absurda. Ergo hic non est ille numerus Apostolorũ ad Christi Apostolos exæquatus, ut mox audies. Deinde hic non est uerus ille Petrus, non Iacobus, non Ioannes, non Paulus, non deniq; reliqui, sed alij quidam. M. Qui nam hi? P. Qui uidelicet Cardinales appellantur: hi enim in hoc cœlo Apostolorũ loco substituti sunt. M. Hoc idem Romæ factũ esse non ignoro: sed ego alia quædam in hoc cœlo esse putabam. P. Atqui lac lacti tam simile nõ est, aut, si mauis, non tam similes sunt inter se purpurati Cardinales, quàm est hoc cœlum curiæ Romanæ, in qua Apostolos præsente pecunia, & discipulos creari ignorat nemo: & possunt eo modo non duodecim sed infiniti creari. Ad id uero, quòd quæris de ue

ro Apostolorum numero, scito Apostolos bifariam accipi. Principio enim Apostoli uoce græca appellantur, quicunq; mittuntur, quos nos legatos & nuncios appellamus. Sic Paulus Epaphroditū ad se à Philippensibus missum, Apostolū uocauit. Sed proprie Apostoli duodecim illi numerātur, quos Christus rex noster, & deus in omnes mundi oras ad promulgandū suum Euāgeliū primū legauit. Quod autem de Paulo quæris nemi nem dubitare fas est, illū uerū Christi & fidelem apostolū extitisse. Nam ut illi duodecim (quorū de numero et gradu excidit Iudas ille Iscariotes, cuius locū ex oraculo diuino ab Apostolis Matthias subrogatus fuit) à Christo adhuc mortali electi & creati sunt, sic ab eodē Christo iam immortali & glorioso Paulus uocatus ad legati munus fuit. Quare nō duodecim sed tredecim omnino apostoli extiterūt, nisi quis duodecim tantū recipiat, tā quā ab ipsomet Christo uocatos, Matthiā ab Apostolis: uerū is, ut dixi, sine diuino numine selectus nō fuit. M. Video, Pasquille, ista parū referre si quis ignoret, & tamē pergratū est, quòd respōdisti. Sed dic mihi obsecro, erátne in hoc Apostolorū, seu Cardinalium, quando idem esse dicis, collegio diuus Hieronymus? nam pleriq; omnes illū cardinalem fuisse affirmant, et pictores suis monumentis

Math.10.

Actor.1.

Actor.9.

D. Hieronymus non fuit Cardinalis.

monumentis testantur. P. *Non erat hic* Hieronymus:*nam neq; esse poterat,cum nondum suo tempore istos Cardinales fuisse cõstet:neq; ipse in suis libris usquam indicet, aut aliquam,uel leuem cõiecturam præbeat, ac Pictoribus atq; Poëtis*

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,
Quominus pictoribus credas. Quin ne uoluisset quidem tales titulos ab hominibus diaboli instinctu excogitatos Hieronymus *assumere,ut pote uir religiosus,& doctus,ab omni ambitione alienus,& iam tum* Romanæ *ecclesiæ, antichristianæq; nascenti infensissimus: id quod passim in suis monumentis apparet.* M. *Quæ fuit igitur causa,ut illum pro cardinali omnes haberent?* P. *Dicam, cum primum ecclesia Romana cœpisset Cardinales instituere, uideretq; illum ordinem nec titulũ diuina autoritate constare,aut insigni aliqua eruditione, & sanctitate excellere, ut ordini autoritas maior, & reuerentia accederet, mortuum* Hieronymum *rubenti galero donarũt, & cardinalem extitisse prædicare cœperunt.* M. *Recte quidem:sed oportebat alios succedere pari cum eruditione,tum sanctitate. Verum quando nemo deinceps repertus est, id potius in dedecus & probrum,ac etiam contemptum eius ordinis cedit,quàm dignitatem. At non dubito te ibi*

Bonauenturam

Bonauenturam atq; Vincentium uidisse: nam ille in magistrum sententiarum commentari i edidit: hic sermones quosdam reliquit, ac uterq; sanctus habitus est. P. Ita est, ut dicis, Marfori. Vtrum que enim uidi, & mihi uisi sunt uehementer alter cari. M. Ergo & sancti inuicem altercantur? Sed quá nam de re? P. Quid putas, nisi de stulta illa quæstione quæ tantas turbas & tragœdias inter franciscanos & dominicanos excitauit, aluit, & perfecit? M. De Mariæ uirginis conceptione ais? P. De ea prorsus. M. Ergo tam stulta contentio nunquam sopietur? P. Sopietur Marfori omnino: sed tum, cum fratrum istorum natio, & monachismus omnis sublatus & extinctus fuerit, id quod fieri cœpit, & propediem Christo bene fauente, atq; Euangelio suo fœlicem cursum præbente, absoluetur. M. Id diuina bonitas faxit. At nosti'ne unde cardinales sint appellati? P. Dicam quod mihi compertũ est: reperi in cuiusdam celebris grammatici commentarijs, cardinales dictos esse per Epenthesim figuram, pro carnales: ut induperator pro imperator, nisi tu aliud, quòd propius rem explicet, habes. M. Dicam & ipse quod nostri sentiunt: Barbatius noster, cardinales à cardine deducit, propter eum locum, qui est Regũ primo, capite secundo: Domini

Bonauentura Franciscanus Vincentius dominicanus.

Altercatio inter sanctos.

ni enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem: in qua autoritate Hostiensis doctor excel sus cardinales figuratos fuisse putat. Sed ego tui grammatici etymologiã ueritati propiorem esse censeo, præsertim cũ res ipsa id ipsum cõprobare uideatur. Sed expone quæso istorũ Apostolorum mores. P. *Nonne tibi paulo antè dixi, eos esse nostris cardinalibus similes? Igitur si horũ mores nosti, & illorum non ignoras. Mores autem eorũ et uitas et instituta explicare quis Plutarchus aut Suetonius posset? Præstat igitur tacere quàm pauca de corruptißima ista cardinalium synagoga dicere, quæ ad Apostolici ordinis, & ueræ ecclesiæ euersionem erecta & instituta fuit.* M. *Non memineram te prius mihi dixisse, cœlũ istud Romanæ curiæ esse persimile, nec est opus ut mihi uitam illorũ describas, quæ etiam Scythis ipsis hyperboreis, & Anteeis est nota. Quamobrem, equidem potius Apostatas, quàm Apostolos istos appellarim. Cupio aũt scire de Contareno & Fulgosio illo Salernitano.* P. *Eos hic non esse miratus sum: sed genius meus admirationẽ excussit, dicens se accepisse illos nondũ in cœlũ istud fuisse admissos, propterea quòd Euangelicam doctrinam plusquam Cardinales decet, redolerent. In magno uero & generali deorum concilio de hac*

re maturius esse deliberandum. M. *Quid de Euangelistis?* P. *O Marfori, quam graui sum dolore affectus cum huius cœli Euangelistas uidi, primum enim pro quatuor illis Euangelistis, atque Euangelijs (tametsi unum est Euangelium, quicquid uero illi, uel Apostoli, & Euangelistæ scripserũt) quatuor ibi concilia recipi uidebam, Nicænum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense. Deinde quatuor ecclesiæ doctores, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, & Gregorium. Post hos innumeros alios, quos in choro doctorũ uidimus, ab his ad librũ decretorũ, decretalium, Sextorũ, Clementinarũ, à quibus eò uentũ est, ut liceret unicuiq; (modo is esset cucullatus, aut alioqui rasus) quod uellet pro Euangelica atq; Apostolica doctrina obtrudere, donec Papa ad se omnia reuocauit, seq; pro Euãgelio pro, Christo, proq; ipso deo cõstituit, imò supra deũ erexit, omnia iura humana, et diuina in scrinio pectoris sui se habere asseuerans. Itaq; Marfori, quales hoc cœlũ habeat euãgelistas, atq; euangelia uides, ut nihil dicam de cãpanis, quas uocant, de statuis, imaginibus, & simulachris templorum, de crucibus, de luminibus, cereis uasis, uestibus, insignibúsque alijs, quæ omnia pro euangelistis, et cõcionatoribus haberi uolũt.* Chorus euangelistarum.

Quamobrem

Quamobrem ex hoc tam detestando cœtu, si uidetur Marfori, obsecro te exeamus: nam equidem præ dolore lachrymas non contineo. M. *Et me iamdudũ tua ista oratio lachrymari cogebat: igitur quò lubet pergito.* P. *Pergo. Hinc non procul erat regio sacerdotum & Leuitarum.* M.

Chorus sacerdotum, & Leuitarum.

Veterum'ne an nouorum? P. *Nouorum Marfori ex ueteribus. Nonne memoria tenes nos cum in regione doctorum essemus dixisse, ueteris testati ceremonias propemodum omnes, & Mosaicæ legis instituta ad nouum fuisse translata?* M. *Teneo. Sed nostrum sacerdotium non arbitrabar ex ueteri manasse, sed recens & nouũ à Christo fuisse institutum.* P. *Quid habes, cur ita putes?* M. *Magna sunt huius rei argumenta: Primum illos natura & sanguis sacerdotes faciebat. nam sola Leui tribus hoc priuilegium à deo acceperat, unde Leuiticum sacerdotium est appellatum: nostrum non in aliqua familia est, sed hi Leuitæ & sacerdotes sunt, qui ab Episcopo ad hoc inaugurantur, atq; inunguntur. Deinde alia illis, alia nostris sacerdotibus sacrificia peraguntur: illi animalia bruta, nostri Christũ deo offerunt & sacrificant.* P. *Communem errorem papistarum, hoc est Romanæ ecclesiæ sequeris Marfori, sed oportet isti errori medicinam adhibere.* M.

Quã medicinã ais Pasquille? P. Philosophi philosophiã dicebant medicinã esse animorũ, quæ errores tolleret, mentemq; purgaret: at nos, quibus ab ipso Deo ueritas est patefacta, nõ philosophiã hoc est mũdanæ sapientiæ studiũ, sed ipsam sapiẽtiã Apostolicis literis traditam, medicinam dicimus animorum, & præsentißimũ omniũ errorum (qui morbi animi sunt) remediũ. M. Error igitur est, quod de nostrorũ sacerdotio disserui? P. Est omnino error, & mentis insanitas quædam perniciosa. M. Cupio magnopere, Pasquille mi, ab hac seu insanitate, seu insania, seu dementia sanari, & ad sanitatem animi, quæ Christi sapientia est, restitui. P. Video sanitatem propinquã esse, quandoquidem & morbum agnoscis, & medelam desideras. Itaq; manum incipiam admouere, atq; ipsam medicinam propinare. Quod de sacerdotio disseruisti, totum illud quidem corruet, & euanescet si cogitabis Apostolos & Euangelistas, hoc de sacerdotio & sacrificio, ne literam quidem reliquisse. Quòd si de sacerdotio & sacerdotibus aliquid scripserunt, non de his, qui ab Episcopis hodie inunguntur, intellexerunt, sed de eo, quo omnes Christiani sunt sacerdotes, spiritus sancti unctione consecrati, nõ oleo quodam à Pontificibus istis adiurato & consecrato. Petrus quidem

Medicina animorum.

Veri sacerdotii descriptio.

1.Pet.2 *dem Apostolus Christianos omnes & ædem spiritualem & sacerdotium sanctum, regaleq́; esse dicit ad offerendas spirituales hostias, gratas Deo per Iesum Christum. Et in hac sententia Romanos,*
Rom 12 *nos, cæterosq́; Christi cultores obsecrat Paulus, ut offerant corpora sua hostiam uiuentem, sanctam, gratam Deo, animi cultum, & rationi consentaneum. Quibus ex locis uides nos esse omnes Dei templum, sacerdotes, & hostias, sacrificia Deo gratißima, Domini nostri Iesu Christi sacerdotis, atq; pontificis æterni causa. Et ego Marfo-*
Inductio. *ri te libenter interrogarim, an credas Iesum pontificem magnum, atque agnum peccatum mundi*
Ioan.1 *(ut Ioannes & reliqua scriptura docet) aboleuisse.* M. *Ita credo.* P. *Age uero cur ueteris testamenti sacerdotes sacrificia toties iterasse, & uictimas uictimis addidisse putas?* M. *Quia iusserat Deus.* P. *Hoc quidem uerum est, sed &*
Hebr.10 *Pauli rationem addere debebas: idcirco eos sæpius sacrificasse, quòd peccata ipsis sacrificijs non tollerentur: alioqui (ut Pauli uerbis utar) Nónne desijssent sacrificia offerri?* M. *Nunc intelligo, sed quorsum ista dicas nondum uideo.* P. *Et ueteris legis sacerdotes, altariaq́; seu aras cur à Deo constituta existimas?* M. *Propter sacrificia credo.* P. *Ergo sacerdotes propter sacrificia, sacrificia*

ficia uero ipsa atq; aræ propter peccata fuerant instituta. M. Id quidem ita uidetur. P. *Tolle igitur peccatum, & nullum uidebis esse nec sacerdotium, nec altare, nec sacrificium.* Ita enim paulus ratiocinatur. Nā ex eo quod Spiritus sanctus dixit: Hoc est *testamentū, quod condam erga illos, post dies illos, dabo leges meas in corde illorum, & in mentibus illorum inscribam eas, & peccatorum atq; iniquitatum nō recordabor amplius.* ita concludit: Porrò *ubi horum est condonatio, non est amplius oblatio pro peccato.* Ac ut *nos esse ueros sacerdotes ostendat, nos adhortans adiungit: Cum igitur fratres habeamus potestatem adeundi in sancta per sanguinem* Iesu, *ea uia quam dedicauit nobis recentem, ac uiuentem per uelum atq; inuolucrum quoddam, hoc est per carnem suam: cumq; habeamus sacerdotem magnū, præfectum domui* Dei, *accedamus liberè fide freti, asperfi corda, depulsaq; peccatorum conscientiis.* Quòd uero *addidisti, nostros sacrificulos quotidie offerre Christum in sacrificium* Deo, *id etiā nulla diuina autoritate confirmari potest, quin potius est, ad Christi ignominiam, eiusq; sacrificij, inuentum.* Ad Hebræos quidem *scriptum est,* Nos *sanctificatos esse per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam: nam hic, una pro pec*

Hier, 31

Hebr. 10

H 2 catis

catis oblata uictima, perpetuò sedet ad dexteram Dei, id quod superest expectans, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum eius. Vnica *enim oblatione perfectos effecit in perpetuũ eos, qui sanctificantur.* Itaq; *nullo alio sacrificio opus est ad expiãda, & mũdanda peccata nostra, quandoquidem* Christus, *ad quem dictum est:* Tu es Sacerdos *in æternum, semel & perfectè obtulit se metipsum pro peccatis nostris, hostiam & sacrificium æternum* ἀπαράβατον *atq; perpetuũ: nam quòd isti suam missam sacrificium appellant, nihil aliud ostendunt, quàm* Christi *sacrificiũ semel peractum, perfectum non fuisse ad expiationem omnium seculorum.* Quod *quanta sit in* Christi *sanguinem iniuria, pijs omnibus satis superq; perspicuum est.* Ad *hæc sacrilegij, nostri missastæ tenentur, qui se offerre* Deo *affirment* Christum, *quem* Pater *nobis dedit: &* Christus *omnibus dixit:* Accipite, edite & bibite ex hoc omnes. Ergo
Matth. 26 Lucæ 22 *rerum ordinem inuertunt, &* Deo *ditiores uideri uolunt, cũ dicant se id donare quod accipiunt, seu potius accipere possent, si diuinis testimonijs fidem haberent.* Verum *res tota in diuersum cadit: neq; enim quicquam uel donant uel accipiũt.* Non *donant enim, quia nemo dare, quod non habet, potest: eos autem* Christum *non habere ex eo perspi-*

perspicuum est, quòd fidem non habent, quæ sola ex hominis pectore Christi templum constituit, atq; eadem ratione nec oblatum accipere Christum, cuius unica est capax fides, & certa de diuina bonitate, Christi que sacrificio persuasio. Quòd si quid dare possunt, diabolū possunt, quē acceperunt: quemadmodum & Iudas ille proditor, in quem pro Christo ingressus est Satanas, Christo panis mystici præbente frustum. Tu uero Marfori, si quid habes ad hæc, profer. Nam ipse longius iam euagari nolo. Ioan. 13

M. *Si quid habeo Pasquille: quid homo habeat aduersus tam aperta diuinæ scripturæ testimonia? furor esset ægrotum contra medicum de medicina disputare, equidem salubrem hanc potionem hausi, & spero fore, ut intra animæ uiscera iniecta, non solum hoc morbo, sed etiam alijs multis me purget, & sanet, sed superest mihi scrupulus: an uelis aliquem esse in Christi Ecclesia ordinem, ullám ne sacram functionem.*

P. *Neque Ecclesiæ ministerium, Marfori, neq; ordinem ullum nego, aut respuo, qui sit noui testamenti testimonio introductus, ut pote qui, docente Paulo, sciam Christum Ecclesiæ suæ dedisse alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & doctores, ad hoc ut sancti instaurētur, & opus ministerij pro-* Rom 12 1. Cor. 12 Ephes. 4

cedat, ædificiumq́; corporis Christi incrementū accipiat, donec uniuersi concurramus eadem fide & cognitione filij Dei præditi. M. *Video ordinem pulcherrimum, uerum mihi subobscurum.*

Ordinis Apostolici explicatio. *Quare breuiter (si placet) circūſcribe mihi hæc officia.* P. *Faciam: Apostoli sunt, qui Euangelij legatione ad multas gentes & populos funguntur.*

Qui sunt Prophetæ & Euangelistæ. *Prophetæ, qui cœlestis spiritus instinctu, atq; inflatu Ecclesiam monent de his, quæ in rem eius sunt. Euangelistæ, qui Euangelij denuntiandi & promulgandi dexteritate pollent, boniq́; in facultate Christiana sunt oratores.*

Pastores. *Pastores uero ij sunt, qui & alibi Episcopi sunt appellati, hi uero sunt, qui rectè gubernādi Ecclesias facultate præditi sunt, gregemq́; suum uita & doctrina quadā excellenti pascunt, qui sedulò inuigilant, ut suæ Ecclesiæ mores & uitam inspectent, & suas oues nominatim agnoscant.*

Doctores. *Doctores denique eos esse non dubito, qui bonas artes, seu illa [illegible] profanis sint seu sacris, in Christi Ecclesia docent, & profitentur. Habes breuiter Marfori, quod petisti, quanquam nec magistratum, & boni principis officia, nec alia quædam Reipub. Christianæ munera, quæ Paulus ipse diuersis locis enumerat à corpore Christi separamus, sed hæc quinq; à me explicata eximia mihi esse uidetur.* M. *De presbyteris*

byteris quid dicis? P. Presbyter ipso nomine seniorem significat, & ijdem erant qui Episcopi, aut etiam senatores Ecclesiastici, nō minus ætate, quàm pietate graues: nulli uero unquam sacrifici aut missastæ fuerunt, quicquid nostri garriant sacrificuli maiores seu minores & plebei. M. Iam nihil aliud desidero quàm ut mihi, quæ in hoc sacerdotum choro uideris, referas. P. Vidi sacerdotum confusam & inordinatam turbam, quorū alij canonici, alij plebani, alij capellani, alij archidiaconi, alij archipresbyteri, præpositi alij, quidam simpliciter presbyteri, nōnulli primiceri, nōnulli item cantores, & sexcentis alijs nominib. uocabātur: quæ nomina inuecta sunt postea quam ministri appellatio sordere cœpit, tanquam parū magnifica, ac nimis onerosa. M. Quid isti agebant? P. De facultatibus, decimis, & pensionibus consultabant. M. Quæ consultationis erat causa? P. Quod Papa decimas & ipse posceret, idq; non semel, sed quotannis, neq; eas simplices, sed duplices. Proinde rationem aliquam inire parabant, qua fieret, ut quod Papæ pendere cogerentur, aliunde corraderent. Hic uariabāt sententiæ: nam erant qui cōsulerent Ecclesiæ cuiusq; thesauros, puta, uestes preciosas, uasa & alia ornamenta, esse in capita diuidenda: hi aūt hanc afferebāt

Qui sint in choro sacerdotum papisticorum.

Sacerdotū Papæ consultationes.

rationem, quòd nisi ipsi hoc facerent breui fore, ut aut à Papa, aut à Turca, aut à magistratu cuiusq; ciuitatis, aut à Lutherianis inuadantur: longe sibi consultius uideri, æquiusq;, ut ipsi, qui diei pondus & æstus ferrent, etiã bona, si qua essent, auferrent: uerum huic sententiæ pauperum quarundam Ecclesiarum *plebani, & sacrificuli quidam mercennari intercedebant, quòd ad eos nihil de diuitum* Ecclesiarum *præda uenturum esset: afferebant tamen & ipsi suam sententiam:* Sibi *uideri longe magis in cõmune prodesse, si omnes in suis ciuitatibus &* Ecclesijs*, primum externã quandam sanctitatem præ se ferrent, habitu seu uestibus, uultu, gestu, & alijs huiusmodi: præsertim uero, rebus diuinis operam dando, & alijs ceremonijs ad unguem seruandis.* Deinde *quisq; pro se nouum aliquod idolum erigeret, alius ossa quedam & nouas, quas uocant, reliquias inueniret, alius crucifixum guttas sanguinis emittentem, alius uirginem* Mariam *lachrymantẽ, alius lac præbentem, alius hostiam saltantem, et ad infantis formam se ostentantem: alius se uidisse dicat, cum dona imponeret aris,*

Horrendum dictu, latices nigrescere sacros,

Fusaq; in obscœnum se uertere uina cruorem.

Alij alia pro ingenij dexteritate inuenirent: id si fieret

fieret eos & obseruantiam populi & admiratio-nem, quam luxuria, & libidinibus amiserunt, re-cuperaturos esse: & non solum quas habent opes seruaturos, sed & alias acquisituros. Hæc enim genius narrare coëgit quendam, qui quòd his ar-tibus & imposturis nollet assentiri, quasi Luthe-rianus *extra collegium eiectus abibat.* M. *Po-tuisti ne intelligere quis'nam esset ille sacerdos ue resacer, qui de his imposturis tam acutè delibe-rasset?* P. *Aiebat ex ijs esse, quos* Theatinus *no-ster* Cardinalis *instituit.* M. *Scio cum* Venetijs *primum cum illic ageret, presbiterorum sectam nouam condidisse, totam in hypocrisi, & fucata sanctitate fundatam. unde factum est, ut hypocri-tæ omnes, per antonomasiam* Teatini, *aut* Chie-tini *uulgò appellentur: quam sectā postea ille de-seruit tūc, cum, quod uenabatur, accepisset.* Nam *proiecerat rete, cū episcopatu primo se abdicas-set, ut* Cardinalis *prædam captaret. Quod ubi cō tigit, huc statim conuolauit, ut sua hypocrisi rur-sum* Romanam *curiam contaminaret.* P. *Sed accepisti ne quid ille* Venetijs *decedēs suis pres-byteris rogantibus quonam abiret responderit?* Cardinalis Theatinus

M. *Minime id accepi.* P. *Quò ego uado, in-quit, uos non potestis uenire, illud intelligens se il los in paupertate, & sordibus relinquere, se autē* Ioan.7

Romã ad amplißimam dignitatẽ tanquam in cœlũ ascendere: quo ipsi religione astricti uenire nequirent. M. Intelligo responsum, in quo, ut uidetur sibi Christi uerba accõmodabat, & scripturã sanctã ad suum sensum pertrahebat. P. Ita isti solent, uerũ tu Marfori, iam quæ in Patriarcharũ et

Chorus Patriarcharum & prophetarũ.

prophetarum choro didicimus accipe. M. Adsum ut quicquid dixeris audiã, & fideli memoriæ tradã. Sed erant'ne ibi duodecim illi filij Iacob: nã hi Patriarchæ sunt omnes appellati. P. Nõ, sed noui testamẽti erant, quos uidimus. M. Sunt'ne etiam in nouo testamento Patriarchæ? P. Vt ingenue tibi ueritatẽ dicam Marfori, nulli plus sunt in nouo testamento Patriarchæ, quàm Papæ, Cardinales, monachi, sacerdotes, & huiusmodi alia, de quibus nulla litera in Apostolicis, & literis, et historijs reperitur: uerũ nostri maiores, qui mysteriũ hoc iniquitatis & fraudum nobis inchoarunt ne nõ prorsus iudaizarent: patriarchas etiã ex ueteri testamento nõ in nouum quidẽ, sed in suam synagogam cõportarunt. M. Qui nam sunt hi? P. Dicam Marfori, duplex hic uidi Patriar-

Duplex genus Patriarcharum.

charũ genus: alteri enim Patriarchæ primũ quatuor regionũ constituti sunt, Romanus, Antiochenus, Alexãdrinus, Hierosolymitanus. Postea trãslata Bizantiũ imperij sede, additus est & Bizantius

tius, seu Constantinopolitanus, & deinceps alij nonnulli, ut Aquileiensis, & Venetus. Hi uero suum gradum ita obtinuerunt, ut essent tanquam reliquorum episcoporum, atq; pontificum (nam erant & ipsi episcopi) principes, seu mauis, pontifices maiores, ut olim, nostra Republica stante, fuerunt. Fuit et aliud genus patriarcharũ sine imperio dum uixerunt, sineq; patriarchatus dignitate. M. Ergo mortui patriarchæ creati sunt?

P. Rem tenes, perinde ut Petrus factus est Papa, pontifex ue Romanus, & Hieronymus Cardinalis. In his numerantur Ioannes Baptista, Dominicus qui prædicatorũ, & Franciscus, qui Minorum sectam cõstituit. M. Sed cur hi Patriarchæ sunt appellati? P. Quia patrũ, nã monachi se patres appellant, principes, & sectæ fuerũt authores. M. Atqui hac ratione poterat quilibet monachorum ordo, & familia suum authorem, et principem patriarcham nuncupare. P. Poterat, sed hæ familiæ ambitione reliquas superarunt.

M. Ergo & in hac classe Dominicum, Franciscumq; uidisti? P. Vidi, & quidem alio cultu, quàm in monachorum regione uideram nam illic habitu nihil Franciscus à Dominico differebat. nam uterq; in opilionis, hoc est ouium custodis uilissimo habitu mihi uisus est, quem Sagum cucullũ

ueteres

ueteres dicebant. Est autem tegminis genus ulna panni, filo crasso & rudi, in medio aperti, qua poßit caput immitti, & super annexum cucullum ad pluuias, & cœli arcendam iniuriam. Sic enim uestiri solent pastores, tum in Hispania, tum etiã in Italia, ac præsertim in Vmbria. Hic uero eos pontificijs uestibus & diademate, seu coronis ornatos uidi. M. *Me quidem Pasquille, in non paruam admirationem trahis, cum uideam horũ posteros & nepotes tam tenui lana uestiri, ac planè Millesia, tamq; laciniosos incedere, & phylacteria, ut dicitur, dilatare. Porrò etiam miror, qui fieri poßit, ut eodem tempore duobus in locis sint. hic & in monachorum choro.* P. *Ne mireris Marfori, dij enim sunt qui locũ nullum occupant, sed ubi uolunt, uidentur, seq; aspectabiles faciũt, quod si non intelligis, similitudine id ostendam. Ita enim hi diuersis in locis, temporis pũcto sunt, ut corpus Christi sua præditum quantitate, & naturali dimensione in mille hostijs, & mißis continetur.* M. *Nisi similitudinem intelligerem, logicè cõcluderem: si in loco non sunt, ergo ne sunt quidem. nam nihil est, quod suæ naturæ locum aptum non habeat. Verum ista omitto, & quid nostri patriarchæ agerent audire aueo.* P. *Sed tu nihil de Ioanne Baptista Marfori, percontaris?*

Matth.23

M. Ob-

M. *Oblitus fueram inter patriarchas numeratum, et tantum prophetam, immò ut audiui, plusquam prophetam esse putabam.* P. *Nescis in Litanijs, & Gregorianis illis supplicationibus, eum unicum sub titulo patriarcharum et prophetarũ nominari?* M. *Millies audiui, sed exciderat.* P. *Ioannem igitur Baptistam uidimus, sed ô quantũ ab illo diuersum, quem nobis sancti Euangelistæ descripserunt.* M. *Quid audio? miras mihi narras metamorphoses, & nulla in parte Ouidianis cedentes.* P. *Nõ nugas dico, Marfori mi: si enim sacræ Euangelistarum historiæ credimus, Ioannes ille, ueste ex Camelorum pilis contexta indutus,* Matth. 3 *ad nouam uitam omnes conuocabat, baptizabat, & agnum mundi peccata tollentem ostendebat. Iste uero longam hastam manu tenet, armis militaribus grauis & horribilis, quem non pœnitentium multitudo sequitur, sed manipulus pyratarũ, qui equites Herodiani uocantur.* M. *Illos'ne* Equites Herodiani. *dicis, qui insulam Rhodum incoluerunt, hodie uero Melitam tenent?* P. *Illos ipsos Marfori.* M. *At hi equites Rhodij à Rhodo appellantur, non Herodiani.* P. *Ego, Marfori, semper Herodianos accepi, nunc uero amissa Rhodo, occupata Melita, Melitei, seu Melitenses essent appellandi, ut Melitei canes, quibus Melita abundat.* M. *O mores*

Matth. 3 Lucæ 3 Ioan. 1 *mores diuersos? Ioannes desertũ incolebat, ad pœnitentiam inuitabat, baptizabat in Christum, iste uero quid facit? P. Baptizat & ipse multos uel inuitos. M. Forte dicis in mari, dum fracta naui eos uitam in undis cogit relinquere. P. Sed & pœnitere facit non paucos, & in desertum educit, & trahit. M. An forte dum cum suis pyratis excurrit, dum prædatur, dum innumeros bonis & fortunis expoliat? P. Dum populatur etiam, dumq; captiuos miseros abducit. In summa strenue diuum Ioannem imitatur. M. Quantum audio hunc si se praeire Christus iußisset, forsitan facilius Iudæos subegisset. P. Et talem Iudæi expectant Meßiam, qui armis & maleficijs orbem uastet uniuersum. M. Quod autem gerebant insigne? P. Omnes in sagis cruces habebant, alij albas, alij rubras, nonnulli uirides, partim planas & rectas, partim corrugatas, partim serratas, dentatas ue. Qui tamen rubras gestabant, mihi oris habitu Hispani uidebantur: & suo Iacobo ad latus proximi. M. Cur Christi signũ in uestibus gerunt? P. Quia in corde non ferunt. M. Dic serio rogo. P. Et serio dico, uerũ si aliud uis, nescio quid sibi cum suis crucibus uelint, nisi quòd innumeros mortales quotidie excruciant. M. Credo, nam & principib. quibus*

hoc

hoc genus hominũ maximè placet, audio esse charißimos, & incursionibus naualibus promptißimos esse: sed quæ illis societas est cum Baptista Ioanne? P. *Puto quod in diui Ioannis gratiam multa deserta fecerunt.* M. *At Ioannes desertum nõ fecit, sed incoluit.* P. *At isti faciunt, & alios incolere sinũt, Sardonapalo iam facti molliores.* M. *Equidem audiui, & fama fuit eos Rhodi flagitia commisisse, quæ Turcæ ipsi non cõmisissent, quo factum fuit, ut diuina ultione Rhodo cedere coacti sint, quam Turca poßidet.* P. *Sic est factum Marfori, posteaquam crudelitate alienigenas adoriri cœpimus, non pietate, iustitia, fide, uita & doctrina uerè Christiana, quibus uirtutibus nostri maiores totum ad se mundum pertraxerunt.* M. *O Pasquille, ut uideo, in istis tuis Herodianis nihil ferè restat Christianismi, præter nomen.* P. *Imò ne nomen quidem: nam non equites Christi seruatoris, sed Ioannis Rhodij appellantur. una tamen re similes Ioanni sunt, quod uxores non ducunt, & cœlibes usq; manent.* M. *Si nõ ducunt uxores, forsitan ducunt scorta: & si cœlibes sunt, non tamen casti. In hac enim re non Ioannem modo, uerum quemuis peßimum lenonem, aut nebulonẽ referre poßint.* P. *Rem ipsam acu, ut aiunt, tetigisti.*

tetigisti, sed ut ad Patriarchas nostros reuertar. Dominicus suorum priorum, subpriorum, uicariorum, omnium quidem gentium, sed præcipuè
De Patriarcha Dominico. *Hispanorum synodum conuocarat, & cum illis agebat de hæreticis comburendis, aut quouis modo necandis.* M. *At hoc non est principem agere, sed tyrannum, immò hoc non est homines lucrari, sed perdere: non Christum imitari, sed Sa-*
Ioan.8 *tanam, qui homicida erat ab initio. Christus di-*
Matth.13 *cit: sinite utraq; crescere usq; ad messem, ne simul cum lolio eradicetis & triticum: & isti non lolium, sed triticum extirpant. Non enim dubito hæreticos eum intelligere quoscũq; bonos uiros, qui illorum hypocrisi, impietati, & idololatriæ facto & dicto sese opponunt, ac præsertim eos, quos ipsi Lutheranos dicunt, cum, ut uideo, hi uerè Christiani sint, ipsi uero Antichristiani.* P. *Non solum istos ipsos intelligunt, sed ad rauim usque inclamant. Nam quidam Hispanus hæreticæ prauitatis sectator, inquisitor uolui, aliquot Hispanorum nomina deferebat, et quidem nobilium, quos Lutheriana hæresi infectos esse dicebat, id se deprehendisse in eo, quòd pauperibus libenter subuenirent, fratribus nihil, aut cum stomacho erogarent: quod cum antea soliti essent, etiam pro re leuißima, iurare pesadios, & alias in Deum, Christum,*

ftum, & fanctos blafphemias conijcere, fcortari, potare, ludere, & alias illecebras perfequi: nunc deum laudarent, fobrie, cafte, & pie uiuerent, ab omni fpecie mala abftinerent, et feria tantũ, utiláque tractarent, ac demum quòd lectione fancta nimium oblectarentur. M. Q*uid ad hæc Dominicus?* P. Hortabatur *ut fe imitarentur, & factũ illud ob oculos haberent, cũ* Tolofanam *hærefim* Innocẽtio *tertio procurante, mira celeritate com pefcuit.* M. Q*uo'nam pacto?* P. Dicebat *enim non tam difceptatione, fed bello & armis agendũ effe, quo facto inter fanctos relatus eft.* M. Hoc *etiã modo apud gentes plериq; maleficijs et cædi bus nobilitati fuerũt, et inter deos recepti, ut* Iupiter, Mars, Romulus, & Cæfares *aliquot*. Porrò *quòd* Dominicũ *dicis confuluiffe, id etiã fuade bat* Aleander *pontifex* Brundufinus *nõ papæ mo dò, uerumetiam* Cæfari *et* Ferdinando Auftriaco. *unde et in* Hifpania, *alijsq; regionibus, ubi illi im perant, eius confilium fatis diligenter feruari au dio.* P. Seruant *quidem* Marfori: *fed* Dominus *omnem altitudinem, quæ contra fuam maieftatẽ erigit fefe, deijciet & profternet.* M. Q*uid ue ro* Francifcus? P. Francifcus *uehementer cum fu is expoftulabat, quòd non fatis fuas cõformitates inculcarent mundo, quibus obtineri poterat, ut* De patriarcha Francifco.

I non

non modò Christo par & similis uideretur, uerū etiam supra Christum. M. Quas'nam nobis conformitates narras? P. Liber est, Marfori, à Franciscanis confictus, & conscriptus, cum quo si Mahumeti Alcoranum conferas, Alcoranum iudicabis præ illo sanctissimum, tametsi in plerisq; illi simillimus esse uideatur. M. Audiui Franciscum, cum ab eo regula peteretur à suis, Euangelium illis pro regula proposuisse. P. Ita aiunt, quod tamen posteri eius male tenuerunt. Nam si Euangelium retinuissent, non tot portenta de Francisco commenti essent, ut ex eo alterum nobis Christum, & alterum Euangelium conflarent. Nam si istis credimus, Franciscus in nullo sanctorum choro reperietur, sed supra omnes thronos, domunationes, & potestates. M. Quî fieri isthuc potest? P. Nescio: uerū istud uel è suggestis isti audent prædicare. Aiunt enim quendam optasse sibi diuinitus ostendi, quónam loco Franciscus in cœlo haberetur: hunc a sensibus abductum fuisse, ac per omnes cœli regiones & choros circunductum fuisse, nusquam tamen optatum Franciscum apparuisse. Tandem ad circulum diuinitatis peruenisse, ubi Christus sedebat ad patris dexteram, atq; ibi sibi ostendi Franciscum poposcisse. tunc Christū de solio surrexisse,
N . pallium

pallium à pectore diduxisse, remouißetq́;, uulnusq́; lateris ostentasse, ex quo illicò prodijt Franciscus.ita ille,quod quærebat inuēto,redijt ad se.
M. O fabulam plusquam Mahumeticam. utinam rediisset ad se,& tantam blasphemiam agnouisset. Verum ita deus huius seculi,mentes excæcauit infidelium,ut ueritatem recipere non poßint.Sed priores illi Patriarchæ quid tū agebant?
P. De primatu,ut aiunt,Ecclesiæ, & principatu contendebant. Constantinopolitanus ad se dicebat pertinere catholici titulū,& summi pontificis nomen, quòd ibi eßet imperij sedes.Hierosolymitanus contrà ad se rapiebat,quòd in ea urbe summus ille pontifex Christus triumphaßet. Antiochenus contrà contendebat,eum uniuersalem episcopum appellandum eße,qui in ea urbe esset,in qua Petrus Apostolorū princeps sedisset. eam uero urbem Antiochiam esse,Petrumq́; Romæ unquam fuisse negabat. Romanus uero Gregorij responsum nihil ueritus,qui eū Antichristū appellabat,qui se uniuersalē pontificem,summumq́; nuncupasset,partim fraude et largitionibus,partim ui obtinebat,ut primus,maximus,summus,uniuersalis,beatissimus,legitimusq́; Petri successor & Christi,uocaretur. M. Quid ais Petrū Apostolū nūquā Romæ fuisse?P.Id Marfori nō leuibus

coniecturis & testimonijs uiri quidam docti col legerunt. et extat liber in hoc ipsum editus, qui etiam inscriptus est, quòd Petrus nunquam Romæ fuit: ad quem autorē te, breuitatis caussa, reijcio.

M. *Librum quamprimùm conquiram, & remotis arbitris diligenter legam. Sed quid dicebat Alexandrinus?* P. *Afferebat & ipse suas rationes, quas non bene recordor: quapropter ad Prophetas transeo.* M. *Esaiam uidelicet, Hieremiam, Danielem, & alios.* P. *Nequaquam, sed ad filios Balaami, qui mercedem iniquitatis dilexit, de qua ab asina redargutus fuit.* M. *Nonne & prophetæ sunt in nouo testamento?* P. *Sunt Marfori. an non meministi nos suprà Prophetas inter officia Christianæ ecclesiæ numerasse? nā ego nihil de ueteribus intelligo, sed de ijs qui falsorum prophetarū, & eorū qui mercede propheta rūt, uiam sequuti sunt, et sequuntur. ut aūt scias, propheta, & prophetia duo significat: tum eum qui diuino instinctu futura prædicit, quiq; omnibus occulta, & quæ ingenio humanáue solertia cognosci non possunt, dicit, & patefacit: hos prophetas & uates appellamus. Propheta deinde doctorē significat, nō quemuis, sed missum à deo ad docendā ecclesiam, ad corrigendos mores, magis spiritu intus doctus, quàm humanis disciplinis instructus*

Chorus Prophetarum.

Prophetæ bifariam capti.

structus. & hoc differt à simpliciter doctore, quòd propheta tantum diuina docet: doctoris autem munus etiã eas artes complectitur, quas liberales atq; humanas appellarũt. Et doctor ea docere potest, quæ ex solis libris, & hominũ ore excepit et didicit: prophetã uero etiã in diuinis literis explicandis diuino numine afflatũ, & scripturæ sensa doctũ intus esse oportet. In hoc aũt cœlo utrunq; prophetarũ genus uidi, nisi quòd neq; qui futura prædicebant, neq; qui ecclesiam docebãt de religione, à deo erant afflati, aut à Christi spiritu, sed à principe tenebrarũ harum, & à Sathanæ spiritu inflati et agitati. Qui enim futura prædicebant, erant arioli, augures, aruspices, diuini, necromantici, astrologi, & damnatæ magiæ sectatores, in quibus erant & Papæ, & Cardinales, & Episcopi, & Abbates, & monachorum omne genus, præsertim Dominicalium & Franciscanorum, quòd ij à ueneficis et strigibus, ut uocant, cum quibus illis sæpe negociũ est, malas artes & dæmoniacas addiscant. M. Vera narras, Pasquille. nam & Syluester secundus, adiuuante diabolo, Papatum adeptus fuisse legitur, hac tamen lege, ut post mortem totus illius esset. Et noster Paulus Freneticus, ho, Farnesius dicere uolebam, pontifex, in astrologia & diuinatione pri-

Prophetæ ex illi papistici.

mas hac tempestate obtinere dicitur. P. *Neq; id falsum est: nam ut suæ artis sociũ haberet,* Dionysium *Seruitam, sui ordinis principem, Cardinalem fecerat: & ipsemet* Paulus, *sibi hanc laudem assumit, quod suo iure (quoniam in eo studio ætatẽ cõsumpsit) quodãmodo uidetur sibi posse uẽdicare. Sed mirũ an hac sua arte præscire poßit, quem nã locum sit post mortem occupaturus.* M. *Neq; id fortaßis curat, ut qui animum esse immortalem fortè non credit. nam de hac re in* Romana *curia dubitatur: id quod ipse non semel inter loquendũ, ut fit, deprehendi.* P. Petrus *tamen* Aloisius *pontificis nostri filius, animam esse immortalẽ nihil dubitat.* M. *Non plusquam* Epicurus *et* Sadducæi, *aut eius pater* Paulus, *aut, si placet,* Cardinalis Teatinus, *id quod tota eius uita testatur.* P. *Rectè. sed quando* Teatini *mentionem fecisti, dignus mihi uidetur, qui inter prophetas hosce numeretur.* M. *Cur nam?* P. *Rem omnem audies. Incidit cuidam nobili* Veneto *cũ uxore controuersia, libera disceptatione in foro cõscientiæ, ut dicunt, dirimenda: res cum torqueret utrunq;, uxor (ut ferè mulierculæ sunt curiosiores) primùm adit quendam* Teatini *sacrificulum ualde bene hypocritam, eiq; totam rem in confeßione auriculari*

tefacit,

patefacit, eumq; rogat ut scrupulum eximat: facit ille ut potest, ac illicò ad Teatinum clàm quod in confessione audiuit, defert (id quod factitare con, ueuerat.) Ille cum audisset, iubet suum sacrificulum tacere, & inuenta in aure Pontificio eius quæstionis enodatione, signatoq; loco, expectat dum ueniret maritus, qui in eiusmodi rebus solebat diuum Teatinum consulere. Postridie uenit maritus, & remotis arbitris, dixit se habere aliquid, quod grauaret illius animam: ea gratia uenisse, ut super ea re seruum dei consuleret. Hic bonus propheta, qui prius locū ipsum notarat, ubi negotium explicabatur, iussit nobilem silere: ducit ad librum, manuq; eius apprehensa, in notato loco includit, atq; ita quid in animo haberet, hortatur exponere: facit ille, & omnia ordine exponit. quod ubi fecisset, aperit diuus Teatinus propheta librum, inquiens: Ecce locus, qui tibi plenè, cumulateq; satisfaciet. legit ille bonus uir, cūq; neminem id scire præter uxorem putaret, intuitus prophetam hunc cadit in genua, eumq; adorat, clamans oportere eum esse alterum Christum, qui cordis secreta rimaretur & nosset. In qua opinione adhuc sic desipit, ut nullo belleboro possit restitui. M. Mirum mihi prophetam narras.

P. Huiusmodi sunt innumerabiles, qui,

quòd tali artificio nouerunt, prophetant & uaticinantur. Verum ad alios accedamus. Alteri uero prophetæ, quos hic uidimus munus habere de religione docendi, non diuina, sed humana, immò sathanica docebant: quærebant hominibus placere, seipsos & sua commendabant, & ferebant in cœlum. In summa, utriq; ex his erant, de quibus Dominus *apud prophetam conqueritur, dicens: Ibant, & non mittebam eos: prophetabant, & non per spiritum meũ. ac de quibus Iesus Christus, unicus & magister & seruator noster, ecclesiam monuit:* Matth. 7. *Cauete, inquit, uobis à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouiũ, sed intrinsecus sunt lupi rapaces: à fructibus ipsorum agnoscetis eos. Et quibus se in die iudicij dicturũ esse profitetur:* Matth. 25. *Nunquam noui uos. Itaq; neque nos etiam, Marfori, eos agnoscamus. Ex horum deinceps furentium deorum choro, ad ingentem curiam, angelo meo duce, perueni. Hæc multa loca distincta habebat, ubi iudices seuerißimi sedebant.* Curia cœli Papistici. *agebantur hic multæ caussæ, & sic clamitabatur à causidicis, patronis & aduocatis, ut cum quærerem, quinam essent isti iudices, uix quid adstantes responderent, potuerim intelligere.* M. *Quomodo intellexisti tandem?* P. *Necesse fuit ex turba secedere, & ibi percontari.* M.

Quis

Quis hic retulit tibi huius curiæ morem & formam? P. *Diabolus, qui amissa caussa murmurans abscedebat.* M. *Quos dicebat hic esse iudices?* P. *Græcè loquebatur: non satis memini an Apostolos, an Apostatas dixerit.* M. *Ego nõ putabam in cœlo Diabolos esse, aut opus ibi esse ullis patronis, aut aduocatis præter Christũ.* P. *Vnde hanc opinionem hausisti?* M. *E medio Euangelio.* P. *Túne sic subito ex Canonista effi ceris Euangelista, Marfori?* M. *Tu in causa es Pasquille, qui scrutandas esse scripturas monuisti.* Christus solus Mediator.

P. *Immò Christus ipse monuit. sed affer locum.* M. *Memini Christum dicere, Ego sum ueritas, cum istud mecum penitus examino, incipio mecum sic ratiocinari: Si Christus ueritas, & idem iudex uiuorum & mortuorum, quid opus est tot aduocatis? nam ex legibus scio, aduocatorum operã à iudice nõ ad aliud requiri, quàm ut sciatur ueritas. ex quo argumentum sic concludo: Si iudex ueritas est, magna stultitia est postulare aduocatum, qui rem faciat notam.* P. *Rectè argumentaris Marfori, sed hic aduocatus accipitur pro sequestro, quem græci Mesiten: nos aliquid audentes, Mediatorem possumus appellare. oportet aliter ex hac expedias quæstione.* M. *Fac ita esse Pasquille: nihilominus ex scripturæ locis defende*

 mus,

mus non opus esse tot aduocatis. In *primis ex Paulo habemus, Christum in cœlum ascendiße, ut perpetuò appareat uultui dei pro nobis.* Ergo *uetus ecclesia patri commendabat suas orationes per Iesum Christum. Iam uero si habemus testimonium Patris, hunc solum illi acceptum esse, non ne facimus & Patri, & Christo iniuriam, qui alios in eius locum, tanquam magis idoneos subrogamus? quibus & ipsis opus fuerit aduocato? omnes enim peccatores fuerunt, magnaq; seruati misericordia dei: solus uero Christus inuentus est impollutus, innocens, absq; peccato, pontifex aeternus.* Et *hoc est quod Apostolus* Ioannes *in priore canonica dicit, cum inquit: Filioli si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Christum Iesum iustum. Fateor multos dici aduocatos, sed unus & solus Christus est aduocatus iustus, cuius solius cũ patrocinium, tũ sacrificiũ placuerũt Patri. Ille solus pro nobis, non pro se orat. Alij omnes primum pro se coguntur orare & sacrificare: eorumq; sacrificia, et preces, quia non sunt perfecta, sæpius iterantur. Christus semel & semper pro nobis orauit & sacrificauit, & exauditus est sui meriti caussa.* P. *Marfori, ista tua disputatione facis, ut uix credã te esse Marforiũ: certe facis suspi*

cionem

cionem, ne primo uere cum serpentibus ueterem exuas pellem. M. Non *cum serpentibus, sed cum Euangelicis uiris, qui adhortantur, ut exuatur uetus ille homo, & uestiatur nouus, qui secundum deum creatus est in iustitia, & uera sanctitate.* P. *Christus quidem nos monet, ut prudentiam serpentum imitemur, cuius prudentiæ pars est uel potissima, ueterem & caducam exuisse pellem, et niudum iuuenta fieri. Sed age, quando nostrū colloquiū tibi sic cœpit placere, & te ex illo prudentiorem & eruditiorem fieri animaduertimus, uolo ut totam historiam deinceps cursim intelligas.* Matth.10. Serpentū prudentia.

M. *Iamdudum illud expectabam, Pasquille. Quid enim tam sancto colloquio, & tam uaria historia potest expectari iucundius?* P. *Audiuisti ergo, quid apud hosce iudices agatur.* M. *Audiui: sed oblitus sum te interrogare, quibus allegationibus ad caussarum defensiones ibi utantur: an ne ibi Bartolus & Baldus, & reliqua farina litigiosorum hominum in precio habeatur?* P. *Rectè mones: nam & hic est quod mireris, si huius fori formam intelligas.* M. *Dicito quæ nam sit.* P. *Iudices, quos tibi memoraui, non sicuti apud nos fit, re intellecta sententiam ferunt, sed quasi nequeant unquam apprehendere, quod ab utraque parte affertur: remittunt reum cū actore ad libripendem.* Libripens: armarum.

pendem. M. Quid hic tibi uis cum libripende? P. Dicam. In medio huius fori est magnus & aliger quidam deus, qui altera manu magnam bilãcem, altera strictum gladiũ tenet: ad hunc quasi ad arbitrum itur, posteaquam per diabolũ et aduocatum apud iudices acerrime clamatum est. Vbi huc deuentum est, ille illicò suam bilancem explicat. in una uero lance ponit aduocatus omnia sua: ut sunt, missæ, diplomata, indulgentiæ, precule, uaria officia de uirgine, de cruce, de mortuis, rosaria, peregrinationes, ieiunia, uota, cuculla, uestes millecolores, funes nodosos, enodes, zonas scorteas, cannabeas, ligneas, & cætera huiusmodi. in alia uero lance demittitur misera anima, cui ad basim lancis sese appendit Diabolus, sed crassus, & multum pinguis, quales sunt qui in monasterijs degunt, ut monachorum uitia obseruent. M. O astutiam Plutonis, qui ut altera lanx præponderet, submittit istos saginatos potius, quàm illos qui arida incolunt loca. P. Sic est huius ingenium. sed quod maximè uisu iucundum est, Mimon qua est astutia, in inferiori lancis parte tripudiat, & iam appensos funes mouet, iam animam digitis titillat: in summa, omnia agit, ut sua pars præponderet. M. Quid ad hæc ille? P. Iratus gladio cædit dæmonem, & cruce rubra,

bra, quam in pectore gerit, minatur, & quietum esse iubet. Dæmon uero tandem ad officiũ reductus, capite stat contracto, non aliter ac solet uulpes gallinam suffurata, quam si rusticus in furto offendat, baculoq; minetur, illa se tota contrahit, suam nihilominus gallinam mordicus retinet. M. Bella similitudo. *Sed quid agitur postquam res tota ad libram expensa est?* P. *Si opera præpõderent, deducitur anima summo cum triumpho ad suum chorum, ibiq; commendatur cuidam, qui pro suo merito eam collocat, aut paulo suprà aut paulò infra. At si Diabolus cum sua lance præponderet, itur uel ad infernũ, uel pagatoriũ.* M. *Quare pagatoriũ dicis?* P. *Quia apud nostrates dicitur, male stare, fà ben pagare: & iam tu te scis, huius loci terrorem ad bene soluendũ rusticos & ciues miserè compellere.* M. Intelligo. *sed quod est nomen huic libripendi?* P. Dicebant *eũ esse* D. Michaëlem. M. *Illũ qui in monte* Gar*gano dicitur amasse taurũ?* P. *Illum ipsum.* M. Non *defatigatur tam odioso officio?* P. *Interdum: sed si quando hoc usu uenit, rusticus ille, quem monti Gargano ferunt nomen imposuisse, tanquam* Hercules *oneri succedit.* M. *Quid audio? Rusticus'ne huic monti nomen dedit?* P. *Sic aiunt. Verum memini me apud ueteres autores* S. Michaelis fabula.

res hoc nomē legere, inter quos Lucanus cecinit,
Appulus Adriacas exit Garganus in undas.
Certe tempore Lucani nondum istius Michaëlis fabula inuenta fuerat: quod aliquando contra quendam monachum, qui è suggestu hanc fabulam narrauerat, cum opponerem, non habuit aliud quod responderet, quàm poëtas esse mendaces. M. Apposite, si dijs placet. sed tacuistine ad tam acutum responsum? P. Quid agerem, cum deessent cardui, quibus meum pascerem asinum? Hoc enim genus hominum, si quid ex bonis literis afferas, non intelligit: & quæ non intelligit, ridet, atq; contemnit. M. Vnde uero Pasquille, prodijt iste Michaël? P. Vnde, nisi ex inscitia monachorum? M. Forte Michaëli isti accidit, quod Christophoro, ut suprà meministi. P. Illud ipsum. M. Ergo & istius imago alterius rei significationem continuit? P. Omnino. M. Cuius quæso? P. Iustitiæ dei. nam hac figura olim eam depingebant ueteres Christiani, mutuati illud à poëtis, qui iustitiam ferè hoc modo depingebant: nisi quod alas noui addiderunt, quo significarent illam è terris euolasse. M. Quis est iste error, ut tam sancta & pia imago, ad tam ineptam & impiam historiam reciderit? P. Quid non
audet

audet monachorum improbitas effingere? M. Miror ut *Christiani hactenus tam ineptis histo rijs, immò fabulis sese illudi passi sint.* P. *Nescio. sed si Lucianus in Veris narrationibus ista refer ret, aut poëta quispiam, ridicula omnibus, scio, ui derentur.* Nunc *cum monachi declamitent, angelum* Michaëlem *in monte Gargano dormiuisse cum tauro, omnes uelut rem auditu dignam censent.* Nam *nihil est tam absurdum, quod ab istis proclamatum, fidem non mereatur.* Et *si quid ad dubites, clamant illicò: pie potius credendū esse, quàm curiose perscrutandū.* M. Hoc *consilio de inceps pie potius credā, eos esse magnos nebulones, quàm ut, an eiusmodi sint, perquirā.* P. Re*ctè Marfori.* Sed *ut nostrā prosequamur narratio nē, ex hoc foro, quod locū maximū occupabat, se cessimus ad palatiū, quod ciuitatis uerticē tenet, sic ut uastæ huius ciuitatis esset ueluti meditulliū.* Hoc *palatiū uidebatur nō admodū uetustū, tanto cū sumptu & apparatu inceptū, ut adhuc totū non potuerit exædificari: sicut cum templo* D. Petri *Romæ accidit, qui tamen diu pontificum impleuit marsupia. forma erat instar* Romani *co lossei: nisi quod uno, eoq; perpetuo tecto tegebatur.* M. Oportebat *ergo obscurū esse palatium.* P. *An nescis huius cœli sanctos lucem odio habe*

rē

re? & candelis potius quàm sole delectari? nam simulatq; intrauimus, uidimus omnia fuliginosa, lucernis funalibus & candelis plena: parietes auro et argento, pictisq; tabellis onerati erant. M. Videris mihi officinam Alchimistarũ depingere. P. In hoc differebat ab officinis Alchimisticis, quòd locus iste multo auro et argento diues erat, quo Alcumistæ penitus carent. & ut reliqua prosequar: in penetralibus alto in solio sedebat regina quædam colore fusco, habens à tergo solem, ad pedes uero lunam. M. Sed ista uidentur parum sibi constare, quæ dicis: regiam hanc esse obscuram, reginam fumo fuscatam, sole lunaq; uestitã. Ego ex his potius argumentarer, omnia esse lucu lentissima. P. Nullam uidebis esse controuersiam, modò rem ipsam intelligas. Hic sol, qui uestit reginam, non habet radios liberos, aliàs totam regiam illustraret. M. Quid est impedimento? P. Totam reginam à capite ad pedes circuit magna corona, quam Dominicani dicuntur circuntexuisse: in hanc dum impingunt radij solis, relinquitur palatium obscurum, nisi candelarum & lampadarum lumine illustraretur. M. Sed quid hic appellas coronam? P. Loquor uulgi more, qui contextum illum orbiculorũ, per quos funiculus est immissus, coronam appellat, Galli

Chappelet,

chappelet, monachorum grex rosarium uocat.

M. *Intelligo: credidi olim neminem posse fieri saluum, qui unam saltem coronam quotidie non demurmurasset. sed quando ista sic se habent, desinam in posterum his nugis onerare manus. Sed unum miror, quod de hac regina & palatio affers, ubi solem & lunam ponis. Certè si mathematicè rem consideremus, & à proportione ad proportionem argumenta ducamus, inueniemus admodum magnam esse hanc reginam, et multo maius palatium. Nam si sol terram nescio quot partibus uincit magnitudine, oportebat hanc reginam admodum esse uastam, & palatiũ esse quendam alterum mundum.* P. *Oportet scire esse magnam differentiam inter solem, qui hunc orbem quotidie ambit, atq; eum qui hanc reginam uestit.* M. *Si ea est differentia, quæ inter fictas aut pictas & ueras res inuenitur, certè erit maxima differentia.* P. *Rem tenes probè. In hac regia erant innumera sedilia, alia alijs altiora. Hic erat chorus, seu mauis, concilium ex omni genere sanctorum congregatum.* M. *Videlicet quod uel conuicijs hodie obtineri non potest, & summis omnium mortalium uotis: id nullo negotio in hoc cœlo habebatur.* P. *Ita est Marfori. & huius rei causam esse non dubito, quod in mortalium con-* Concilium omnium sanctorum.

K cilio

cilio timent isti uarias hominum sententias, non bene cum suis congruentes: uerum in hoc deorũ concilio nihil timetur, quòd omnes eiusdem sint ingenij, studij, uoluntatis, ut suum regnum sustentetur, & quàm latissimè, uel Christi regno de iecto, Christoq; pulso, propagetur. Hinc est quod *superioribus ætatibus tam facile* Patres illi *ad sua concilia coibāt: quia nullus erat, qui pro Christo atq; eius maiestate staret, aut se stare auderet pro fiteri.* Quod *si unus aut alter, eorum sententiæ ausus esset palàm refragari, illicò ad palinodiam cogebatur, aut flammis uiuus dedebatur, ut factum fuit* Ioanni Vßitensi, Hieronymo Pragensi, Sauonarolæq; Ferrariensi, *et alijs nonnullis pro* Euangelica *ueritate contra Papisticam perfidiam sentientibus. At posteaquam bonam partem populi Christiani et nationum, benè de Christo, male uero de Papa & suis sentire uiderunt, ad concilia tardiores esse cœperunt, adeò ut Cæsare flagitante, toto orbe terrarum expectante, generale concilium iam tot annos extorqueri ab eis non potuerit: usq; adeò lucem omnem, qui pessime agunt, ut Christus dicebat, oderunt.* Non *quòd pijs ullo modo sit concilijs, aut hominum suffragijs opus, ad firmandas eorum conscientias & mentes, stabiliendamq; doctrinam, quam se diuinitus*

diuinitus accepisse certò sciunt: sciũt enim ideo cõcilium amant, et poscunt, ut eorũ doctrina, quàm uera, quàm sancta, quàm pia est appareat: ne remedia dißidiorum ueteribus usitata refugisse uideantur, atq; ut infirmis satis conscientijs faciat: & demum, ut in arenam pertracti liberam & æquam aduersarij, non ferro atq; igni decertent, sed sanctarũ testimonijs scripturarũ, sanctiq; spiritus ostensione, aut alioqui se uictos esse fateantur. Verum autem piorum concilium à Iesu Christo, totoq; eius Apostolico senatu, olim iam spiritu sancto eorum uoluntates conciliante, habitũ fuit, in sempiternum duraturum. In hoc autem deorum concilio astiterunt reges terræ, & principes sacerdotum, omnisq; generis sanctorum conuenerunt simul aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. M. Ingressus'ne tu Pasquille es ad hæc tam sancta comitia? P. Sum Marfori: nam genius meus nescio quam mihi afflauit diuinitatem, ut ingressus unà cum ipso, donec ille uoluit, nulli uisus fuerim. M. Quid audiuisti cũ primũ es ingressus? P. Omnes uno ore clamare: Disrumpamus uincula eorũ, et proijciamus à nobis iugũ ipsorũ. M. Quæ aũt uincula, quodue iugũ? P. Quæ putas uincula sint ista, nisi pacis et charitatis? quodue iugũ, nisi Christi magistri & Cantio Sanctorum.

Matth. 11 *seruatoris doctrinam? de qua ille dicebat: Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quod mitis sim, & humilis corde, & inuenietis requiem animis uestris. Et alio loco dicebat ad omnes: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* M. *Talia igitur uincula tam aurea, tamq; dulcia, hoc iugum tam leue & suaue, isti proijcere atq; excutere uolebant?* P. *Prorsus uolebant, Marfori, & uolunt: quoniam amara sunt uitiosis, & male uiuentibus præcepta iustitiæ: uitia uero uoluptate condita sunt. illis offensi, hac deliniti, feruntur in præceps: ac bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur. Verum qui habitat in cœlo Dominus, ridet ac ludit eos, in iraq; & furore suo sic turbat, & affatur eos: Ego uero ungam Regem meum, super Zion montem sanctum meum. Quare præclarè sibi consulerent, & orbi Christiano, imò toti terrarum orbi, si consilium audirent Reges terræ, Regis prophetæ, qui sic in eodem loco eos monet & inuitat, ad suauißimum Christi iugum suscipiendum. Idcirco (inquit) reges quæso sapite, & disciplinam recipite ô iudices terræ. Vt deferatis Domino timorem, & cum metu seruiatis ei. Vt amplectamini filium, ne illo irato pereatis propter studia uestra. Nam cum breui ardescet*

ſcet ira eius,ô fœlices qui ſperant in eum. M.*Ita eſſe nihil ambigo.ſed quid agebatur prætereaᶜ* P. *De Germania ad gremium eccleſiæ Romanæ,aut prece,aut precio,aut ui,atq; armis reducenda.*

M. *De fraudibus uero, & impoſturis nullâ ne fiebat mentio?* P. *Fraudes ſtruere, moliriq; cœlites iſti ſolent,potius quàm dicere.accitum tamē tunc diuum quendam Iodocum uidi,quem omnes* De D.Iodoco *orabant illi proceres, ut Germaniæ principibus & primatibus numeroſam daret prolem.* M. *Cur'nam iſtuc?* P. *Vt illi anguſtia rei familiaris ad tantam progeniem pro dignitate tuendam coacti, rurſus de opimis ſacerdotijs cogitarent, & mitras, rubentesq; pileos ab eo peterent, qui & uendere,& ſi uſus foret donare conſueſſet.* M. *Audiui ex Flandris,multos ad iſtum fœcundum Iodocum,qui in Gallia templa habet,filiorū gratia procreandorum concedere,remq; proſpere cedere.* P. *Sic eſt.ſed iſti neſciunt, dum abſunt domo,ſacrificos & monachos eorum uxoribus commiſceri.* M. *Per hos ſcilicet uicarios* D.*Iodocus magnam poterit fœcunditatē inducere. Sed quid prætereaᶜ* P. *Quid? ut Germanorum doctores præmijs pellicerentur ad defectionem. præſertim literis & artibus cardinalium quorūdam, qui cū doctiores, tum etiam aliquanto meliores reliquis*

habentur. M. *Audiui et ipse hic nonnullos, qui dicerent parum abesse, quin aliquot ex principibus eorum ministris, & doctoribus susceptas partes desererent, & Romanæ ecclesiæ consentirent: quin & semel atq; iterum rumor fuit, Philippũ Melanchthonem ductum ui in triumphũ.* P. *Satis intelligo. Lutherum intelligis, & Buzerum, quos fama est quædam adhuc tueri, quæ non admodum à Romanæ ecclesiæ institutis dissident: nam Lutherus ipse, qui primus manũ admouit, aususq; est Papisticas corruptelas redarguere, missam quandam retinebat, imagines non deijciebat, in cœna Domini cum pane Christi carnem commiscebat. Buzerus uero, cœnæ Dominicæ negocium aliter tractare, quàm antea suis in scriptis fecisset, hoc est Luthero accedere uidebatur: tametsi ita sermonem temperauit, uerbaq; ponderauit, ut nemo quid sibi in ea re uelit, intelligere posśit. Ac Philippus Melanchthon uisus est philosophiam literis diuinis immiscere, contingens, quod uocant, in quæstione prædestinationis & causarum admittere, argumentisq; confirmare, diuersa quædam à prioribus suis communibus locis tradere. Hæc omnia effecerunt, ut susceptam caussam prodere, desererec; uiderentur. Sed non ita esse, satis euentus indicauit.* M.

Martinus Lutherus.

Martinus Buzerus.

Philippus Melanchthõ.

Quid

Quid autem ita loquebantur? P. *Quo plures Christo lucrifacerent, humana prudentia uti in rebus diuinis uoluerunt: uerũ posteaquam re ipsa deprehendere cœperunt, se nihil proficere, quin potius ualde caussæ obesse suæ, aliud consiliũ inire statuerunt: uidelicet diuina, quæ nõ sunt priuatæ alicuius interpretationis, diuinitus, non iam humanitus, tractare, id quod propediem omnibus perspicuũ fiet. Verũ quod in hoc cõcilio potissimũ quærebatur, erat, ne Carolus imperator conciliũ in terris cogeret liberũ & generale, sed uana spe Germanos produceret, nunc regis odiũ, nũc Turcica arma, iam Germaniæ intestina odia & bella, iam Hispaniæ rebelliones prætexeret, quo minus sibi conciliũ congregare fas esset. Ac ne forte rationibus aßiduis q; precibus, qua ingenij bonitate & clementia est, uinceretur, illud in primis curabatur, ne diutius in Germania esset, uerũ in Hispaniã suam sese reciperet: quod si faceret, auri quantũ uellet à Papa, istorũ deorũ procuratore, acciperet. in cuius rei testimoniũ centũ milia aureorũ nummûm eidem numerari statuebant: et quo magis illũ demererentur, ac fratrem illius regem Ferdinandum excelso animo uirum, placuit ut ad ipsum Ferdinandũ mitterentur regia munera, quod accepissent illum numerosam*

Carolus Cæsar.

Rex Ferdinandus.

prolem habere, & Turcicis bellis exhaustum esse, neq; fortunam tamen illius magnitudini respondere. illud etiam addebant, ut legatus illi persuadere conaretur, ut alea, armis, tempestiuis conuiuijs, & alijs huiusmodi sese oblectaret, magis quàm aut studio ueritatis inquirendæ, aut Euangelicæ religionis propagandæ: potißimum uero, ut ijsdem artibus liberos institueret suos, quæ educatio una reges uel in primis decere uideretur. Deniq; ut illius aula nunquam Fabris, Eccijs & Nauseis uacaret. M. *Quòd scelesti isti (at non uolebam) sed cœlestes nolunt homines, præsertim reges, literas attingere sanctißimas, id minime mirum uideri debet. Nam cum omnium bonarum artium, literarumq; & religionis ueræ sint ipsi planè ignari: cumq; regnum eorum, & principatus ignorantia sit constitutus, quid nisi ignorantiam errorum omnium & malorum parentem, suadere possunt? De uoluptatibus uero nihil attinet dicere, cum sint ipsi Sardanapalo, Xerseq; molliores, atq; effœminatiores. Ego regium in primis esse putabam, Deum timere: religionem ueram, quæ literis Euangelicis continetur, tueri: sapientiam colere, omniq; pulchritudine uirtutis tantũ cæteris præstare mortalibus, quantum gradu & fastigio dignitatis præcellunt. Sed nunquid non*

regis Christianißimi ulla fiebat mētio? P. In hāc Rex Galliæ
sententiam omnes descendere uidebantur, ut ad Franciscum Vallesium aliquis fictus laudator, & Romanæ curiæ dolis atq; arte instructus mitteretur, qui heroëm antiqua uirtute & fide ob id uehementer commendaret, quòd in conquirendis et comburendis Lutherianis, regiam nauaret operam & planè heroicam, & ad id persequendum acrius inflammaret: illud addens, talibus uictimis Deum placari. Deinde ut meminisset, Christianißimi titulo, tam augusto & sancto, à pontificibus Romanis olim maiores suos fuisse donatos: idcirco par esse, ut eum titulum summa in Ecclesiam Romanam deuotione tueretur, & augeret. Interea tamen, ut festos dies ludorum & saltationum curaret, Veneri sacra faceret, uenandi studiū non omitteret: talia potius quàm aut literas (quibus nimium fauere uidetur) coleret, aut regnum suum bonis artibus institueret, & ornaret. M. Præclara quidē oratio. sed uideat maximus rex, ne si talia consilia sequatur, non soli Lutheriani, sed regnum totum hoc igni ardeat, & conflagret semel. Subeant illi, atq; in mentem ueniant exempla impiorum regum, qui citius quàm putarant sanguinis innocentum effusionis pœnas dederūt. sanguis enim eorum & cineres ipsi ultionem po-
 scunt

ſcunt & clamant. Quòd autem titulum in men
tem regis tam auguſtum redigunt, in hoc regi (ſi
quidem animum attendere, & uetera repetere
memoria uelit) oſtendunt quanti ei titulus iſte
conſtiterit. Nam pontifices nomen inane regibus
Gallorum tradiderunt, à quibus illi uiciſsim ciui-
tates acceperunt. Repetat ergo rex urbes, par-
tim ui, partim fraude ablatas, atq; Euangelium
Ieſu Chriſti, eiuſq; doctores & miniſtros in ſuo
regno libere admittat, ſimulachra abijciat, uerũ
ſacramentorum uſum reſtituat, deum ſpiritu non
digitis & thure colat, & ſic rex regum, ter ma-
ximus, terq; Chriſtianiſsimus uere poterit appel
lari. Quòd ſi Cæſar etiam & Ferdinandus fece-
rint, ille auguſtus, hic catholicus iure poterit no-
minari. P. Vera narras, Marfori, atq; ut Pro-
pheta loqueris: nã par quidem fuerat, principes
omnes Chriſtianos eſſe quod audiunt, & in ſu-
premo religionis, puritatiſq; Chriſtianæ gradu
ſtare atq; primas in ea obtinere, quemadmodum
in faſtigio rerum humanarum ſunt à deo colloca
ti. Sed utinam, uel in ſecundis tertijsq; conſiſte-
rent, nec ſanguine ſanctorum, quos Lutherianos
uocant, Chriſtianas manus, ſtolamq; baptiſmatis
candidam, reſpergerent. M. Timebant'ne quic
quã ab hoc Galliæ rege? P. Illud aiebant, Mar

fori,

fori,non esse timendum, hostem eum Papæ & suorum fore, dum cum Turca conspiraret, apud eum legatos haberet, signaq; coniungeret. Nam Turca & Papa fratres Germani esse dicuntur. id magno satis indicio est, quòd cum classis Turcicæ præfectus Henobarbus ille ad Nicæam oppugnandam nauigaret, et Cæsaris loca quædam uastaret, sine maleficio tamen, ac potius non sine beneficio per Papæ ditionem iter fecit. Puto quòd ita ei Turca mandasset. M. *Quid de rege Angliæ?* P. *Sperabatur eum posse reduci, si Cæsar eius filiam duxißet uxorem. nam hoc facile generum à socero posse impetrare confidebant. Porrò autem quandiu nouis nuptijs, & reginis conquirendis esset impeditus (id quod crebro facit) non putabatur plus nociturus, quàm antea nocuisset.* Rex angli.

M. *Audio illũ in connubijs suis esse infelicißimũ, adeò ut singulis ãnis nouã uxorẽ ducere cogatur priori nũcio remißo: et nunciũ sæpe esse lictorem qui adulteræ amputet caput.* P. *Et tu huiusce infelicitatis, qua nulla maior esse potest, caussam ignoras?* M. *Maximè, nisi tu illam aperias.* P. *Quid putas eße in caussa, nisi iram diuinã?* M. *Quãobrem?* P. *Rogas? quia cœlibatus legẽ impiã & impurã cõfirmauit, ne scilicet ministri Ecclesiæ uxores habeãt: cum tamen alia Papæ, & conciliorum*

conciliorum decreta penè omnia damnarit, & abiecerit. Damnauit autem quod Christus probat, probauit quod Christus improbat: idcirco infelicitate matrimoniorum diuina ultione multatur, in furoremq; & ipse & uxores eius adiguntur. M. O Dei tremenda iudicia. sed tu ad alia. P. Curabatur præterea opera Vintonensis episcopi, ne bona Ecclesiæ Henricus rex ad se amplius, ut cœperat, traheret. M. Quid? tam̄ine faciebant hoc factum? P. Quasi nescias, hoc exemplo cæteros principes & ciuitates prouocari. M. At possunt'ne id facere citra sacrilegium?

Bona Ecclesiæ an liceat occupare.

P. Possunt, si non cupiditate, aut auaritia id faciant, sed ut in meliores usus transferantur. Nam principes & magistratus curare debent singuli in suis ditionibus, ut bona Ecclesiæ idoneis ministris, doctoribus, & discipulis prosint: non otiosis, aut Euangelij hostibus. sicut nosti Marfori, in codice iuris præceptum: et scriptura inquit, Qui non laborat, is nec edat. id quod etiam intelligo de Ecclesiarum thesauris, ut sunt uasa, uestes, simulachra argentea, aureaq;, gemmæ, lapilli, uexilla, cruces, & huiusmodi alia. Nónne satius id putares, quàm otiosos Euangelij hostes episcopos, canonicos, & monachos alere, aut per ambitionem inutilia seruari, aut per luxuriam consumi,

mi, aut per superstitionem adorari? M. Non possum negare Pasquille. & in hunc talem usum fuisse quondam Ecclesijs talia bona donata nõ dubito, ut pauperes huiusmodi facultatibus sustentarentur, ueri Ecclesiarum ministri alerentur, & literarũ studia Ecclesiæ summopere necessaria conseruarentur, præmijsq; afficerentur qui literas, & bonas artes colerent. sicut inquit Paulus: Nemo militat sine stipẽdijs. rectè enim Satyricus sensit, & uidit, cum inquit: Ecclesiæ bona in quem usum donata.

Dicite pontifices, in sacro quid facit aurum?

Quod cum mihi satis superq; sit persuasum, perge ad reliqua huius concilij consilia. P. Illic agebatur ut ex magnis familijs, & insignioribus ciuitatibus Italiæ Galliæq;, semper aliquis esset cardinalis, ut sic retinerentur in officio, quæ iam incipiunt sapere, & ad Euangelicam libertatem aspirare. M. Christus uota bonorum secundet. P. Maximè omnium illud consulebant pleriq;, ut ex Venetis patricijs semper essẽt quatuor, aut quinque cardinales. Nam ab ea urbe, in qua sunt tot prudentes & cordati uiri, magnum periculum timebatur: et eo magis quòd optimus senatus à pontifice aliquando ad suorum ciuium (qui iam desipere desierant, cœperantq; meliora sequi) cædẽ extimulatus, uisus sit suorum ciuium amantior, Veneti.

quàm

quàm pontificiæ tyrannidis extitisse. M. *Narras mihi uiros magna sapientia præditos. uiderunt enim superioribus annis in Germaniæ urbibus ex huiusmodi bonorum cædibus, & carnificinis magnas seditiones & strages extitisse.* P. *Ob hanc raram istorum prouidentiam, & in administranda republica dexteritatem, mirum in modum isti superi timent, ne si euangelium (ut sunt ueritatis amatores) receperint, totam* Itali*am ad eandem secum trahant religionem.* M. *Quid igitur obstat, quo minus id recipiant?* P. *Timent forte ne pontifex* Romanus *ab illis repetat, quod donauit.* M. *Quidnam illud est?* P. *Argenteæ tubæ uexilla quædam, sella ducis aurata, et aliæ quædam nugæ. quæ tamen omnia magno à pontificibus olim empta fuisse constat.* Pasquilli consilium. *Verũ si Pasquillũ prophetam audire uelint, optime suæ reipublicæ & libertati consulent.* Nam cũ *Venetã rempublicam ad metam et terminũ suum uenire breui necesse sit, id quod omnino ab orbe condito, & aliarũ rerũpubl. & principatuũ exemplis, & sapientißimorũ uirorũ sententijs, uatũq; prædictionibus atq; indubitatis signis colligere certissime possunt, sapienter mihi facere uidebuntur, si imminentẽ suæ reipublicæ mutationẽ anteuertant ipsi, Euangelicã disciplinam, atq; adeò*

adeò beatam hanc immutationẽ recipiendo. M. Velles tu, Pasquille, Venetam rempublicã à ferrea ætate ad auream illam traducere, quod non despero fore: nam et potentes sunt, et sapientes. quare occasionem sibi ostentatam, tam breuem, tam optatam, tam insperatam eos agnituros, arrepturosq; confido. P. Et ipse id fore, non leuibus dudum coniecturis deprehendi. Sed nunc reliquas istorum deorum consultationes persequamur. De Hispania quoq; illud constitutũ decretumq; fuit, ut domini inquisitores mitiores se atq; commodiores Marranis, qui Christi diuinitatem negant, exhiberent: omnẽ uero curam studium, operã conuerterent ad conquirendos, cõburendosq; Lutherianos, quos uocant, qui Papæ diuinitatem negant, Christi uero constantissimè confitentur. M. Sanctissimũ audio decretum, scilicet ut Barrabas dimittatur, Christus uero neci cruciq; dedatur. uerum quid prætereà de liberatũ? P. Horrendũ est, Marfori mi, quod postremum audiui, & quod merito uniuersi timere debeant, totusq; Christianus orbis formidare. M. Perterruisti me ualde Pasquil. optime: sed tã illud quicquid est, quãdoquidẽ præuisa tela minus lædũt, expone. P. Horret animus meminisse, dicã tamen. Primũ, fœdus isti cũ Turca inire cogitãt, ut Cæ-

De Hispanis.

Horrendum deorum decretum.

ut Cæsari, & reliquis quos sibi infestos fore timent, terrorem incutiant. Deinde angelos in omnes orbis Christiani regiones atq; urbes mittere decreuerunt, ex his potissimum quibus tristia bella, iræq; insidiæq;, & crimina noxia cordi accitoq; ex his uno cui os uirginis, atq; habitus erat, pedes uero, manusq; leonis armatæ unguibus, atque atris colubris fœcundus sinus: pone quem sequebatur armiger faces & gladios ferens. Eum ita quidam est alloquutus:

Hunc mihi da proprium uirgo sata nocte laborē,
Hanc operā, ne noster honos, infracta ue cedat
Fama loco.

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odijs uersare domos, tu uerbera tectis
Funereasq; inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes, fœcundum concute pectus.
Disijce compositam pacem, sere crimina belli,
Arma uelit, poscatq; simul, rapiatq; iuuentus.

Accepit conditionem angelus, & imperata se actutum facturum pollicetur: atq; inde reliquorū angelorum ad choros euolauit. quibus perlustratis, quoscunq; cædes & proditiones, & omnium generum fraudes adamare intellexit, secum eduxit, alios in Germaniam, alios in Galliam, alios in Hispaniam legauit. Ipse uero se intra Italiæ fines continuit,

continuit, utpote princeps, et caput reliquorum. M. Agnoſco Homeri Romani uerſus, & Iunonis ad Alecto luctificã orationem, quæ Iuno prius dixerat indignabunda, & planè furens:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Ergo & dij iſti furijs, & diris illis ſororibus utuntur? P. Quidni, Marfori, utantur, ſeu abutantur potius? qui Alaſtores ipſos & Eumenides furijs & crudelitate ſuperant? M. Vbi uero Alecto iſta conſtitit, & in quam urbem deſcendit? P. In ea quæ caput totius orbis appellata eſt. hinc enim mittit angelos in alias Italiæ oras & ciuitates. Quin & ipſe nonnunquam ad aliquas fertur ciuitates, ut modo Bononiam & Ferrariam fecit, & ubiq; unum aut alterum anguem è ſinu conijcit: inq; ſinum præcordia ad intima ſubdit, uiperam inſpirans animam. M. Væ igitur mundo, quando tam dira lues terris immittitur. Sed cur id faciunt? P. Primum, ut incendant & inflamment reges, magiſtratus, & reliquos orbis principes in ſanctos, Deiq; amicos. Deinde ut diſcordijs, ſimultatibus & bellis occupati mortales minus de religione cogitent inſtauranda, nullaq; adſit cogendi concilij facultas. Interea uero ipſi molliter uiuant, & tanquam huius tragœdiæ ſpectatores ex alienis malis fructum capiant, & uolu- *Horrendi decreti cauſæ.*

 ptatem.

ptatem. M. *O sceleſtas cogitationes, ô mortalium cæcitatem, qui omnium bellorũ, omnium calamitatum, omnium ſcelerum autores ſanctiſſimos, beatiſſimosq́; appellare non ceſſant. Sed tu Paſquille, ſi quid eſt aliud enarra.* P. *Nihil aliud, Marfori, frater optime. nam ubi hæc in autoritatibus perſcripta fuerunt, concilium diſſolutũ atq; dimiſſũ fuit: quòd à Ganymede ad cœnã fuerunt conuocati. Tunc dux meus monuit ut ſequerer ſe.* M. *Fortaſſe ut te ad choros angelorum perduceret.* P. *Minimè: nam dixit ſe habere quædam à ſuo principe mandata, idcirco iter noſtrum eſſe accelerandum, atq; ex hoc cœlo exeundum. Naturam uero, & mores iſtorum angelorũ cum ex his quæ in huius cœli ingreſſu, tum ex ijs quæ modo deſcripſi, intelligere potes.* M. *Sed nunquid ordines eorum & nomina accepiſti?*

Chori angelorum.

P. *A' meo duce illud accepi, tantam eſſe nominum confuſionem, ut uix eorum diſtingui officia queant. nomina tamen, ſic ut potuit, enumerauit:* Pœnitentiarios, Rotæ procuratores, Abbreuiatores, Auditores, Protonotarios, Cubicularios, Suffraganeos, Abbates, & Cardinales: *quaſi dicas,* Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Virtutes, Poteſtates, Cherubinos, & Seraphinos. *Habes Marfori huius cœli regiones,*

Nouem ordines angelorũ.

giones, atq; incolarũ mores. Ego deinde meum se quutus ducem, ex hac me turba eripui. M. *Oblitus sum abs te sciscitari, num cum suis sanctis in concilio Christus sederet.* P. *Hic illum non uidi, Marfori, sed dum exirem ex curia, illum in platea puerulum cum puerulis quibusdam ludentem uidi. Quod cum miratus uehementer essem, à duce meo quæsiui, quid ita fieret, quòd in concilio Christus non interfuisset. Quia puer est, inquit ille, atque etiam quòd omnia commisit matri.* Christus in cõcilio nõ est · Christus puer

M. *O infelix regnum, ubi & rex perpetuò puer est, & fœmina imperat?* P. *Et ipse illud præterieram, me ibi in quadam uasta area sexcenta ferè horrea uidisse ea magnitudine, qua feruntur Pharaonis illa in Aegypto extitisse.* M. *Plenáne erant omnia?* P. *Non frumento quidem, sed quædam ceris, alia uestibus, alia preciosis monilibus, alia aureis argenteisq; uasis, atque alijs huiusmodi scatebant: nonnulla uero uacua penè erant, eaq; dicebantur esse horrea Germanica. Nam diu nihil fuit importatum quod autem erat reliquum, Vestales Romanæ, quæ regionem pontis Sixti colunt, cõsumpsisse dicebantur.* Meretrices sunt, Curtisanæ dictæ.

M. *Scire abs te cupio, per cuniculos'ne, an per portã exieris.* P. *Per portã Marfori, quã senex ille recaluaster turbæ cuidam ex suis aperuerat.*

M. Non igitur te agnouit? P. Non quòd intentus esset in partem quandam magni cuiusdam ædificij in ipsis mœnibus extantis, cuius basis admodũ erat corrosa, muriq; hiantes, adeò ut iam te cta ipsa ad ruinã inclinarent: quamobrẽ adeò tristis uidebatur stupebatq;, ut nec oculos, nec caput usquam dimoueret. M. O fortunatum Pasquillum. sed commiserat'ne cuipiam claues? P. Non, sed binas manu ipse stringebat. M. Cur autem binas? P. Vt altera cœlum claudat, altera inferni fores patefaciat. M. Atqui arbitrabar claues istas, tum Euangelij scientiam, tum spiritus sancti uirtutem esse, atq; earum geminum munus, uidelicet flagitiosos, suisq; meritis præfidentes, obstinatosq; perterrefaciendi atq; damnandi: afflictas uero sensu & cognitione peccatorum conscientias, iustitiamq; cœlestem & misericordiam sitientes, consolandi & absoluendi. Has ego claues regni cœlorum Petro traditas & Ecclesiæ esse putabam. P. Errabas longe, Marfori, cum id arbitrabare, siquidem de clauibus horum intelligebas. Sin de uera Ecclesia, ueroq; cœlo cogitas, nihil ista tua sententia uerius dici potest. Vt autẽ ad id quod cœperam, reuertar, ex hoc cœlo sursum ad dexteram, ut quàm proxime ad uerum cœlum accederemus, fœliciore uehiculo ferebamur, atque

Claues Petri.

Egressus cœli papistici, & ingressus ueri

atque ubi ad orbem lunæ uentum eſt, genius ſanctus eſſe cogitationibus iuſsit: ſic eos eſſe debere, qui ad uerum illud cœlum, ubi omnia pura ſunt, & à priore cœlo diuerſa, accederent. Cumq; ſuperauiſſemus lunæ regionē, peruenimus ad Mercurij circulum. Ibi non pauci erant manes uarijs formis & modis uexati. In his quendam inter duas columnas fune per medium ducto appenſum uidi. In capite habebat cornua ceruina duo, è pedibus pendebat culeus, ipſe uero perpetuo motu uoluebatur: nam inter cornua appenſum erat uelū, ut in nauibus uidemus. Itaq; aura ſecunda uelum implente, ille in orbem ferebatur, ita ut pedibus cœlum percutere uelle uideretur: eadem uero aura paulisper remittente, ipſe culei grauitate reuoluebatur in pedes, atque ſic ſurſum deorſum, huc atq; illuc agebatur. M. *Potuiſti ne hominem agnoſcere?* P. *Non potui. ſed Genius mihi indicauit, eum eſſe* Deſiderium Eraſmum Roterodamū, *inter cœlum papiſticum, & Chriſtianum his modis acceptum.* M. *Doleo, ita me* Deus *amet, huiuſce hominis uicem, alioqui & docti & perurbani, facetiq;.* P. *Et me etiam huiuſmodi ſpectaculum uehementer cōmouit: ſed quid facias? utrinque hoſtes habuit innumeros, & neſcio quo fato huc fuerit deſtinatus. Inter omnes tamen, qui illū*

Mirum ſpectaculum.

odio persequebantur, nullos sibi magis infestos sensit, quàm monachos: nam & circumfertur epitaphium quoddã, quod mihi ungues alicuius monachi sapere uidetur. M. Refer quæso. P. Referam: sed hac lege, ut risum contineas:

Erasmi epitaphium. Hic iacet Erasmus, qui quondã prauus erat mus,
Rodere qui solitus, roditur à uermibus.

M. Bellum scilicet epitaphiũ, & pinguem Musam redolens cucullatorum. sed quid ita tractabatur hic tantus uir? P. Ita solent, qui altero pede terram, altero cœlum uolunt contingere: nec enim solus hic pendet Erasmus, ut dixi, & audiui alios multos Erasmi similes grauiorib. pœnis afficiendos, atque utinam ista rescirent quotquot aut metu, aut auaritia, aut ambitione, ueritatem diuino munere cognitam celant atq; dissimulant & (quod deterius est) impugnant nonnunquã: qui si nihil audent præterea, saltẽ Augustini Mainardi senis sanctissimi pariter et grauissimi, Iulij Mediolanensis uiri acutissimi, Bernardini Senensis religiosi & boni, Phileni Siculi hominis acuti, boni, & recondita quadam doctrina præditi, Petri martyris Florentini, Pauliq; Lazisij Veronensis: quorũ alter cũ sapientia eloquentiam quoq; cõiunxit, alter constantia atq; eruditione liberali & Christiana præstantissimus habetur:

Erasi quidam uere Christiani.

betur. sed utinam illi istorũ et aliorum cõplurium bonorũ doctißimorũq; uirorũ sequerentur exemplum, qui abitione tempestiua cũ suæ saluti, tum Christi Ecclesiæ, quorum opera & ministerio propediem in Italia opus erit, consuluerunt. M. Audio & in Gallia nonnullos esse qui duabus sedent sellis. P. Non enim falsum est, quod dicis. audiui & ipse multa. cum Gallias superiori anno peragrarem, de quodam magni nominis doctore, in quem uereor (si uera sunt quæ à bonis aliquot & doctis uiris audiui) ne sententia illa horrenda, quæ ad Hebræos perscripta est, cadat.

M. Quam sententiam dicis? P. De his qui semel acceptam ueritatem, cognitamq; deseruerunt, & prodiderunt: quos ait fieri non posse ut resipiscant, rursumquè apprehendant gustatum iam antea bonum cœleste, arcanumq; diuinum. qui id faciunt, sacri commißi, & sceleris in spiritum sanctum tenentur: quod scelus nunquam expiari posse, Christus ipse docuit.

M. Potès ne istum doctorem nominare? P. Poßum. nam quid uerear eius nomen edere, qui palàm in Christũ & illius Ecclesiam contumeliosus atq; infestus esse nõ ueretur? Petrus Caroly appellatur: is est Belga, seu, ut nũc loquũtur, Piccardus: hic Geneuæ, deinde Lausannæ multa nefanda Petrus Caroly Gallus.

 designauit,

designauit, homo tota uita inconstans, maledicus, furiosus, in concionibus suis modo harum, modo illarum, modo nullarum partium, omnes ubiq; corrumpens Ecclesias, *id quod conatus est in Heluetiorum quibusdam* Ecclesijs *facere: sed Deus illius technas detexit, & fregit audaciam, principum* Bernensium *& doctißimorum uirorum prudentia. ubi cum uideret nihil loci ambitioni, inertiæ & fraudibus esse, ad* Metenses, *ubi audierat* Farellus. *Farellum uirum Apostolicum Christum annũciasse, accurrit, ut Christi opera dissolueret, immò ut Christum pusillum extingueret, ibiq; etiam nunc agit. sed uideant si sapiunt* Metenses, *uiri alioqui boni & prudentes, ne Carolus iste mercede uelut* Balaamus *ad imprecandum conductus, in eos ipsos imprecationem, execrationemq; conuertat. Nam idem quoq; Geneuæ moliebatur superioribus annis, cum primum in eam se recepisset urbẽ, & magistratum à sanis consilijs clàm auertere conabatur, ut se unum audiret, sibi auscultaret uni: quod si factum fuisset, hodie Geneua, quæ* Dei *& Christi misericordia, Christianorumq; principum* Bernatium *auxilio libera est, turpißimè seruiret.*

M. *Mirum est quod narras Pasquille. sed quid non designat gloriæ propriæ, uentrisq; cupiditas? immò (ut ille ait) quid non designat ebrietas?*

P. Ita est. sed ego hoc monstro relicto, ad reliqua propero. Superato itaq; orbe Mercurii, ad reliquos sursum uehebamur: quod dum facimus, clarius uidere cœpi mirificum illud cœlestiũ orbium & corporum artificium, atq; his auribus harmoniam, concentumq; suauißimum, qui motu orbiũ cietur hausi, quem concentum confirmarat Plato, negarat Aristoteles, scilicet plus sensibus corporis, quàm mentis intelligentiæ, animiq; solertiæ credens. Quæ cum mecum cogitarē, subit in animum ualde sincera de Deo Opt. Max. *cogitatio, qua præditos esse debere, qui ea loca perlustrarent, dux meus ante monuerat: dumq; ita hæc tam uaria, tam pulchra, tamq; suauia obstupesco, ecce superatis planetis peruenimus ad cœlũ, quod appellant firmamentum, ubi iam omnia incipiunt longe augustiora uideri.* M. *Idem & ipse sentio, ex cœlo isto aspectabili ratiocinans multo pulchriora, admirabilioraq; ea esse, quæ sensum fugiunt oculorum, utpote rebus ueris atq; diuinis propinquiora.* P. *Rectè putas Marsori. atq; equidem istam crediderim non postremam philosophiæ, atq; etiam theologiæ Christianæ partem esse: ex rebus uidelicet conditis, & à sensibus non remotis, bonitatem, potentiam, sapientiamq; Dei inuestigare, authoremq; ipsum uenerari.* Ex qua

Cœlestis harmonia.

Plato. Aristoteles.

Philosophia Christiana.

re sæpe mecũ mirari soleo quî fieri poßit, ut crassi quidam monachi, qui magis uentrẽ quàm mentem colunt, Deum diligere aut admirari queant, cuius opera & diuinum in omnibus rebus artificium ignorent. At non ita facerent, si Christi maximo illi legato, doctoriq; uellent auscultare, qui ex rebus, quibus hic mundus constat, in admirationem & cognitionem Dei esse progressum docet: sique Dauidi, qui cœlum enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annunciare cœlum ipsum canit. Et ut melius rem accipias, ex qua re melius Deum cõcipias: ex saxó ne quopiam super altare posito, quod neq; loqui, neque mouere se, neq; quicquam prodesse potest, an ex ordine uniuersi? Primum ex rebus, quæ elementis constant, terra occurrit cum suis herbis, floribus, frugibus, odoribus, & tam uarijs animalibus, tamq; uarijs regionibus, moribus, naturis hominum. Deinde Oceanus terræ circumfusus, & ad maximas utilitates per mediam terram inductus, tot pisces, tot monstra cõtinens. Adhæc si tecũ cogites, aëris & ignis regionẽ: inde ad motus planetarum, & maxime uero solis & lunæ, pro hominum et locorũ neceßitate tam bene, tam exquisite ordinatos, accedas, & omnia subtiliter perpendas, mira certe quædã delectatio, uoluptasq; consequetur. Est enim

enim animorum naturale quoddam pabulum con ſideratio, cōtemplatioq; naturæ. M. Ex hac cō-*templatione puto magis & propius ad Deum ac-cedi: uerum enimuero nō lapidem cōſiderandum aiunt, ſed eum potius quem lapis ipſe refert.* P. *Si placet hæc ſententia, cur uolentes habere ima-ginē Petri, nō proponimus nobis potius aliquē ſan ctiſſimū paſtorē, qui moribus, uita & doctrina il lū exprimat, quàm lapidē, qui tibi poſcenti doctri nam, aut cōſolationem Euangelicā, planè obmute ſcat? Pari modo uolentes habere imaginē diuæ uir ginis, nō illā habeas potius in caſtiſſima uirguncu la, & diuæ uirgini ſimillima, quàm in ſaxo à mœ cho aut adultero ſculptore ſæpe ad alicuius ſcorti imaginē effictō?* M. *Fateor Paſquille: ſed ubi re-perias aut talem epiſcopū, aut uirginē?* P. *Vbi Marfori? ubi uiget Euangelica doctrina, ubi Chri ſtus cœleſtes theſauros poſtremis diebus hiſce ex plicauit, ut in Rhetia, Heluetia Germania quan quā nec in Italia & Gallia (& ſi oppreſſæ Papæ tyrannide) nō deſunt nec mulieres, nec uiri boni, docti, & ueritatis ſtudioſiſſimi.* M. *Credo, & quædā hac de re ueniunt in mentē. Sed tu ad iter tuum redi, ſi placet: nam de imaginibus ſatisfeci-ſti.* P. *Poſtquam firmamentum miratus eſſem, aſcendimus ad cœlū glaciale, chriſtallinū dicunt,*

Imagines.

Regiones Chriſtianæ.

non

nõ quod ibi sit glacies, sed quia tanta sit huius cœli puritas, ut glaciem purißimam seu chrystallum antiquißimam uincat. Inde delati ad cœlum Empyreum fuimus: ibi ob ingentem lucem, necessum fuit paulisper consistere, & primum ad tantam lucem assuescere, sicut faciunt qui ex magnis tenebris eruti, repente in splendidißimam lucem emittuntur. Postquam constitissemus paululum, cœpimus ciuitatem Domini adire, Marfori. dico ciuitatem, quia aliud nomen non habeo. sed regionem tanta maiestate fulgentem, ut si mihi sint linguæ centum, oraq́; centum, non poßim minimam partem eorum quæ uidi referre. M. *Refer nobis quantum referri potest.* P. *Legisti ne unquam Apocalypsim?* M. *Legi, ubi de sancta ciuitate Dei mira dicuntur.* P. *Sic res habet. In throno sedet Deus: et agnus, habens septem sigilla, id est, omnem potestatẽ & imperium in omnia quæ cœlo terraq́; continentur: nam numero septenario infinitatis & perfectionis numerus comprehenditur. In circuitu sunt sanctorum myriades infinitæ ex omnibus gentibus & linguis, qui perpetuò cantantes altißimo suauißimũ, efficiũt cõcentum.* M. *Quæ est cantio?* P. *Halleluia, Deo soli, & æterno: Deo exercituum magno & mirabili, qui fecit misericordiam orbi per sanguinem*

Cœlum Empyreum.

Cantio uerorum sanctorũ.

agni & Christi. M. Acclamitabatur'ne hoc ab omnibus? P. Ab omnibus, Marfori: in hunc solum intenti omnes ora tenebant. Ille solus rex, & administrator paterni imperij, & miserorum aduocatus & patronus uisebatur, Iesus Christus.

M. Nunquid hic erant chori, ut in priori cœlo? P. Nullum hic erat personarũ discrimen, quantum ego cõprehendere potui: æqualitas erat per omnia, quæ inuidia caret, & ad regni perpetuitatem est accommodatissima. hoc unum uidi, agnum tenentem testamentum suum obsignatũ suo sanguine, in quo omnes sancti ex æquis partibus erant hæredes scripti. neq; audiui quenquam desiderantem, ut altero maior esset: sed omnes una uoce acclamantes laudem & gloriam soli Deo et agno, qui immolatus est. M. Ergo hic nihil horum erat, quæ in priori cœlo uidisti? P. Nihil. Aequalitas.

M. Ergo Diuus Petrus hic non obseruabat portas? P. Hoc cœlum nullam habet portam, nisi Christum. hic est uia, hic ostium, hic ueritas, hic idem uera uita: à nullo hic periculum est, ubique pax secura & æterna. Hic alius est Michaël, alius Gabriel, alij Cherubini, Seraphiniq; quàm uulgò creduntur, aut depinguntur. Si ista uidisses, stuperes hominum de his somnia: inter quos magnus somniator fuit, nescio quis Dionysius Areopagita, Christus est omnia. Dionysius Areopagita.

ta, frustra elatus in his quae nec uiderat, nec norat. Deus quidem ipse, quem uocamus patrē, *luce quadam inaccessa tegitur, sicut uestimento: hinc ministri* Dei Zebaoth, *spiritus illi & uirtutes ad salutē mittuntur* Ecclesiae: *nec ordines posis aut loco, aut nomine distinguere.* Nam Deus *solus distinguere nouit, cum eos, ut sibi uisum, mittit. omnes enim quasi flatus* Dei *sunt, omnes ignei, omnes uolucres, & alis praediti, prae desiderio obsequendi Deo, in quē unum intenti sunt, & cuius unius facere uoluntatē ardēter auent.* In *summa, hic omnia unum, & unū omnia esse uideas.* M. *Quid? nulla hic regina est?* P. *Vnam hic uidi reginam eo habitu, quo describitur in* Psalmo: *Eructauit cor meum uerbū bonum. cuius sponsus est* Christus: *quam cū suspicarer esse diuam uirginē, quaesiui ex meo Genio quae'nam esset: qui respondit, esse* Ecclesiam. M. *Ergo diua uirgo hic dominatum coeli non tenet?* P. *Minimè, sed ipsa pro sua rata parte & modo corpus sponsae exornat, et honestat.* M. *Ergo omnia quae in horis de domina dicuntur, potius* Ecclesiae *quàm diuae uirgini cōueniunt.* P. *Istud quidem credo, quando ita esse iam uidi.* M. *Sed quî fit, ut haec regina, Christi sponsa, tam fuerit ignota & contempta?*

Regina coeli.

P. *Quia pontifices se supra eam locauerunt,*

&

& contempta ea, statuerunt quæ ipsi uoluerunt: & ne non possent applicari quæ diuina oracula de Ecclesia dicit, suffecerunt diuam uirginem, & illi omnia tribuerunt, uocaueruntq́; reginam cœli, & aduocatam, adeò ut ueræ reginæ nomen abolitum sit. P. *Sed meministi ne sanctæ huius reginæ habitum?* P. *Memini: tota matronæ species erat, & quidem castissimæ, quæ cum diuersis membris constaret, tamen illa uarietas ita erat capiti suo Christo annexa, ut conuenientius nihil uideri posit. Ista uero indies magis & magis adornabatur: & licet iam sponsalia facta essent, tamen nuptiarum dies dicebatur in ultimum illum diem, quo omnes resurrecturi sumus, differendus.* M. *Miror cur isti sic contemnant matrimonium, si Christus tandem regnum suum matrimonio Ecclesiæ consummaturus sit.* P. *Et ego admiror. hoc unum suspicor, istos parum esse Christianos, quando Christi exemplum contemnunt, ad quod nos Paulus hortatur, cum inquit: Viri diligite uxores uestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* M. *Qui fit igitur ut uno Christo contenti non simus?* P. *Quia sic est mundi ingenium, semper Christo contrarium. Omnes enim malunt (utpote pecudes) stramina, quàm aurum.* M. *Intelligo, atque utinam nostra Italia*

Reginæ habitus.

De matrimonio.

Prouerbium

Italia saperet, non tam stolida, & superstitiosa esset, nec fortasse tot bellorum motibus obnoxia.

P. *Bono sis animo. non tota Italia desipit: seruauit sibi Dominus septem milia uirorum, qui genua non inflexerunt ante Baal.* M. *Ergo Christus omnia gubernat, neque quicquam commisit sanctis?* P. *Nihil: nam ille solus parat sanctis locum. Illi uero sunt in quiete, nihil de his rebus solliciti, quæ apud nos geruntur. una uoluntas est omnium, ut laudetur & regnet Christus per omnia. hoc poscit diua uirgo, hoc diuus Petrus, hoc martyres. ac in solio diuinæ maiestatis scriptum uidi, Gloriam meam alteri non dabo.* M. *Nullus hic erat diuersus cultus?* P. *Nullus: una erat omnibus uestis nuptialis, quæ ex fide tandem in perfectam charitatem (quod hic fieri nullo modo potest) ibi coalescit.* P. *Mira narras: ergo ista administratio rerũ ab ueris sanctis nõ egreditur?*

Sancti quiescunt.

P. *Non, Marfori.* M. *Scis ne à quibus?* P. *Scio: ab immundis spiritibus, qui hominibus pulchris titulis illudunt. nescis Dominum in Euangelio dixisse: Antichristum miraculis fidem euersurum? & hoc permissu Dei, ut qui ueritati non credunt, in perfidia confirmentur. Nescis olim septẽ spiritus abiuisse à Dei cõspectu, qui iurarant se futuros spiritus mendaciorum in ore omnium prophetarum*

Antichristus.

phetarum Achabi? Ad hæc perspicuum est, Sathanam inducere formam angeli lucis. Et cum tot sint imposturæ, & proni simus omnes ad omnem falsam religionem, nihil mirum, si tot nugæ receptæ sint. Putas magistrum ipsum, eiusq; discipulos, qui ista præuidebant, ab re toties inclamasse? Videte, cauete, attendite, considerate, omnia probate, quod bonum est retinete: Probate spiritus an ex Deo sint. Quoties legis diuinam uirginem apparuisse, & postulasse à stultis hominibus, ut sibi templa & monasteria struerentur? putas'ne modestissimā ancillā Domini, & quæ ob raram quandam animi submissionē primas in corpore ecclesiæ, & sponsæ Christi tenet, sponsumq; intimè amat, fuisse unquam desideraturam quod ad solum sponsum pertinere sciebat? Cui enim, nisi dijs, etiam à stultissimis Ethnicis templa condita sunt? Quare non potius in apparitionibus desiderauit, ut promulgaretur Euangelium? ut uinea Christi bene coleretur? ut non præessent lupi, et canes nescientes latrare? immò, quantū uidemus, illa est, quæ huiusmodi porcos aris præfecit. M. Quo plus te audio, Pasquille, eo maior aperit se campus ueritatis. Vtinam tu semel efficiare pontifex, & toti orbi ista patefa Virgo Maria.

cias:nam ista non minus uera sunt, quàm necessaria. P. Nec hoc mihi optes, Marfori. Quid uis durum saxum in molli & effœminata urbe administrare? Scis me ad istorum stomachum non facere. M. Miror in tanta fame uerbi Dei, neminem te de rebus diuinis consulere. P. Non omnia uides. Habemus & nos scholas & uirorum & mulierum, sed occultißimas, è quibus propediem, quos totus miretur orbis, prodibunt Euangelistæ. M. Nunc uere te magistrum appellabo, qui scholas Christianas habeas. P. Magister omnium est Christus, cuius est ipsa quam tradimus doctrina. Sed ut nostrum iam sermonem concludamus, quæ in hoc cœlo uidi, horum hæc summa esto. Christum omnium caput, esse sponsum ecclesiæ cognoui, ecclesiam ex uarijs membris unum cõstituentibus compositam, cui ad Deum patrem per solũ sponsum pateat aditus. Nulla hic ambitio, aut cura de rebus istis momentaneis, & caducis: unus omnium conatus, ut laudetur Deus per Iesum in secula seculorum Amen. In hunc omnem gloriam, omnem laudem, omnem honorem cupiunt congeri. Nemo sua quærit, sed solum quæ sunt sponsi: dixißes oblitos esse omnes istius mũdi (nam nobis mundoq; mortui, uni uiuunt Deo) omnia uero à Christo administrari: qui

Pasquilli scholæ.

Visorum summa.

qui orat pro nobis, qui interpellat iugiter, cuius sacrificium semper corã patre obuersatur: qui suum spiritum electis impartitur, & suam ecclesiam per illũ regit: ipse solus Rex & Do*minus est*, Alpha & ω, *caputq; omnium sanctorum, omnis pietatis, omnis sinceritatis, ueræ religionis. Is est lux mundi: nam omnia uidet. nemo illi quidquam persuadet, nam ueritas est. absq; illo si quò eas, aberrabis: nam ipse est uia. huic stant & cadunt uniuersa: nam uita est omnium. per hunc solũ pater exaudit: nã quicquid petieritis mea caussa, & nomine meo, dicebat ipse, hoc faciet pater. Istud solũ certũest, quòd per eum oratur. Nã* Pater *per eũ promisit, qui nihil mẽtiri potest: nomine aliorum nihil promisit petentib. immò irasciturijs qui putãt sanctũ aliquẽ esse Christo misericordiorẽ, meliorẽ, sollicitũ magis, & patri acceptiorẽ. nã si aduocatũ habere uelimus, quis Christo misericordior? quis melior, quis* Deo *acceptior?* M. *Video omnem errorẽ, quòd nos ex nostro ingenio res diuinas metimur. nam sic putamus diuã uirginẽ multo placatiori esse ingenio, quàm Christus est, quem truculentum tyrannum & iudicem fingimus, errore ex sola sexus differentia orto, quòd mulierculas arbitramur uiris mitiores.* Il-

lud posset cōdonari, nisi et imperiū Christo abripuissent, et dedissent matri: quasi Christus, qui patris est sapiētia, deliraret. P. Gaudeo, Marfori, quòd ex subtili canonista sis factus simplex Euangelista. M. Hoc tibi debeo, Pasquille, immò Christo, qui me ex tam crassis nebulis per te eruerit. Sed est'ne hic finis historiæ? P. Non aliud restat: nam omnibus his uisis, quæ de utroq; cœlo narraui, & alijs multis, quæ nefas est hominem proferre, inuitus qua ueneram uia, in meam speluncam redij, ubi angelo ingentes gratias egi, qui bona fide omnia commonstrarat. Idem pollicebatur suam operam si inferna uellem uisere, multa me ibi uisurum relatu digna. Volo, inquam, oroq; ut uocatus adsis, cum præsertim Paulus III. emigrabit. M. At uide, Pasquille, quid agas. scis enim quid poëta olim cecinerit:

Pasquilli ad inferos descēsus.

Facilis descensus Auerni:
  Sed reuocare gradum,
Superasq; euadere ad auras,
  Hoc opus, hic labor est.

P. Rectè admones. sed permagni interest ducēne Deo, an Diabolo, etiam in Tartara ipsa descenderis. nā quos ducit Deus, idem reducit. Dominus enim, inquit uates, deducit ad inferos, &

& reducit. M. *Certe etiam hic aliquid mysterij celas.* P. *Nihil aliud nisi ut scias, in infernum descendere, esse mundi tenebras, et caecitatem, ac principum praesertim horrenda scelera, & quae sequantur supplicia cognoscere, quod nisi Deo duce fieri tutò non potest.* M. *Est profectò ut dicis: quare mi Pasquille, pro tam iucundo, sanctoq; colloquio plura tibi debeo, quàm ulli mortaliū unquam. nolo autem hoc tēpore te diutius interrogare, ut ante quàm luceat abire possim, ne qui conspectus fiat, aut sermo. Nolim enim hunc nostrum congressum cuiquam notum esse, quando iam omnibus est inuisa ueritas, quae hic apud te perspicua est. Tametsi uereor ne Corycaeus aliquis auscultarit. Quare ualeas frater, & si unquam ad inferos descendere, quo pacto ad coelos ascendisti nuper, contigerit: rogo ut ne me quicquam celes, sed benigne, ut soles, impertias.* P. *Faciā, ac libens: interim & tu uale Marfori frater, pergeq; sincerus esse Christianus.* M. *Ita fiet, siquidem ut coepit, pergat fauere Christus.* P. *Ne dubita, quod coepit, absoluet: non enim solet ille opera sua interrupta atq; inchoata relinquere.*

FINIS.

IVDICIVM PASQVILLI, SEV PAsquillus captiuus.



PAPA Paulus III. *ueritus ne aduentu Lutherianorũ pelleretur principatu, concilium suum Cardinalium conuocat, ibiq; multa uarijs de reb. loquutus, illud insuper addidit: Quid facimus? Pasquillus iste multa edit prodigia: nisi consuluerimus rebus nostris, aduentu Lutherianorum eripietur nobis imperium. An non cernimus, omnes illi iam adhibere fidem? Ac breui in eam itum est sententiam, ut mitteret Rabbinũ quendam cacologiæ peritißimum, inquisitorem primarium, Dæmonicanum, hostem Euangelij, atq; alterum contectum pilo asinino, gestantem pendentia in pedibus ligna, præsentibus item scribis ad eiusmodi dolos instructis, ut me de rebus omnibus scrupulose interrogarent, fallacias necterent, postmodum referrent omnia: ut ipsi dãnarent me prius quàm essent hominẽ alloquuti, quod et factũ est. Itaq; uinctus sum tã quã latro, ductusq; corã illo qui uicariũ agit il-*

lius,

lius,qui aduersatur Christo. Considebat autem is,& omnes,aut saltem maior pars eorũ,qui illius dicuntur membra: ego ibi uerò solutus uinculis,credo ut statim aduolarẽ osculatũ pedes illius,non quòd ulla præditi essent misericordia,uel pietate. At ipse suppliciter eum salutaui,expectans quò res esset euasura. Tunc noster sanctißimus totus ira incensus,inquit: Spectate patres huius perfrictã frontẽ. Principes, marchiones,duces, reges,imperatores omnes porrigũt osculum pedi pontificũ:hic nudus,ac fame absumptus,non dignatur. Tunc ego petita uenia fandi,eaq; mihi data, tempus percommodum adesse ratus,sic cœpi. An nõ estis Christiani? non legitis scripturas sacras? Etiam,inquiunt:quum nobis per otium nihil agendum est. Rectè. igitur non reperistis,diuum Petrũ cum Act.10. iret baptizatum Corneliũ,isq; uellet genua flectere,apostolũ prohibuisse? Siquidem, inquit, ego quoq; sum homo,quẽadmodum tu es. Et in Apocalypsi,nõne dixit angelus ei qui ipsum uolebat adorare? Vide ne feceris, etenim ego & Apoc. 19. tu serui sumus. Tot præterea in locis Actorum apostolicorũ,immò in omnibus scripturis sanctis,nũquam sanctos reperietis talẽ barbariem cõprobasse. Responsum mihi est: Adhuc igno-

ras nos habere pontificem loco Christi? Tum ego, uos id quidem affirmatis, at ipse nusquam id reperio in libris sanctis. olim didici praecepta Dei. qui dicit: Vnum cole Deum: & ostendens filium suum dixit, Hunc audite. Nunc igitur cum uelitis me duos recipere Deos, ac duos Christos, id ne aequum sit, an cōtrà, uos ipsi iudicate. Tunc uero respiciens uultū nostrorū satraparū, uerè agnouisses in illis sculptam inferarum imaginem furiarum, tanto subsequente clamore, ut uix alter alteri ad audiendum praeberet aures. Hic Paulus phreneticus omnino uolebat uestes suas cōscindere, dicens: Reus est mortis, blasphemauit, quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. non auditis illum negantem autoritatem pontificis? haereticus est, cōmeretur ignem. Cum audiui fieri mētionem ignis, coepi paululū sudare, meq; collegi. cum subito uox intonuit in aures meas: Ne timeas Pasquille, eos qui possunt ponere corpus in ignem, & concremare: illum time potius, qui solus potest animam tuam conijcere in tartara. taliq; sermone Dei sumpsi fiduciā, alioqui eo fluctu absorptus fuissem. Statim noster reuerendissimus Teatinus inquit: Audio etiam abs te negari purgatorium? Huic ego,

ego, nunquam id negaui, inquam, & miror talem interrogationem: nam ut dixi inquisitori hæreticæ prauitatis, arbitror uitam christiani totam crucem esse, & purgatorium quoddam. quia sicut aurum igni indies purgatur magis, sic filij Dei sanguine Christi & fide purgantur: uestrum autem non purgatorium, sed pagatorium, quid aliud est, quàm amplißimum quæst rete, percommodum ad piscãdos animos incautos, qui aßiduè inebriãtur indulgentijs uestris, mißis, anniuersarijs, & mille bullis, uisitationibus templorum, & innumerabilibus alijs inuentionibus diabolicis, inuẽtis solum amplificandi caussa regnum Antichristi, ut uberiores reddantur census uestri, unde alantur tot otio marcescentes, qui more porcorum uiuunt, ut quicquid libet faciãt. Vbi unquam reperistis in sanctißimis literarum monumentis alius generis purgatorium, quàm illius quod exposui uobis? Molestum mihi est alloqui homines qui nesciunt, neq; intelligunt scripturas. non enim forsitan ita uos agitaret furor. quamuis aliquot hic cerno, qui rem tenent: sed fascinum paßi sunt, uel timent ne galerum amittant. Attamen scitis quid dicat Christus: Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego illum co-

ram patremeo, qui in cœlis est. Age, inquit Pontifex, de cœlibatu quid sentis? putas sacerdotes nubere posse? quoniam soliti estis coli (inquio) hac in re imitabor Christum, qui licet putaretur fabri filius, non eò prætermisit quin eijceret è templo Scribas & Phariseos, quos plurimi faciebat mundus, euertitq; omnia. Sic dicam ego: Docet me Paulus doctrinā esse Dæmoniorum, quæ matrimonium prohibet. Deus nonne creauit marem & fœminam? Si igitur creauit uos Deus mares, cupitis forsan posse in fœminas transformari, & fœminam in marem? Inuenitis usquam in sanctis scripturis literam unam, quæ uos iubeat cœlibes esse? Idq; necessarium uobis imponat? Duo sunt genera illorum qui obseruant castitatem: alterum quidem eorum quibus donum castitatis elargitum sit à Domino: *& hi uere sunt casti corde, animo & corpore. In altero uero genere sunt nunc qui fratres, & monachi, & presbyteri, & sacerdotes appellantur: qui quidem cœlibes sunt, at non tamen casti, aut incorrupti, cum stupris & adulterijs scateant. & licet non sint uere casti, id iactant nihilominus. Stupidi, putatis fieri posse, quin ille qui creauit cor, aures & oculos, uos penitus & in cute noscat,*

audiat?

audiat? fallimini. O quàm præstaret, permittere omnes liberos esse. Id nõ esset uobis conducibile, scio. At si gereretis animũ Christiano dignum, mutaretis sententiam. Sed hæc hactenus: necesse est enim Deũ consulere rebus, quib. nolletis uos consultum. Scio enim sacras literas narrare, fideles omnes, ac sanctos illos patres Abrahamum, Isaacum, Iacobum uxores habuisse: uiuebant caste cum uxoribus suis Petrus, & Paulus. In nouo testamento dixit Christus, Non omnes capiunt uerbum hoc: de cœlibatu loquens. sed illi tantum, quibus concessum est. Et D. Paulus: Melius est nubere, quàm uri. Permittite paulisper, ut qui non continet, matrimonium posit contrahere, & perspicietis castitatem uestrã: quæ uera fortaßis euadet castitas si Christiana redierit nuptiarũ libertas. Misera Vestalium collegia clamant: libertas, libertas. cum cõfitentur ne id patefaciant, à quo uos tantopere abhorretis, utuntur innumeris fallacijs, ac plerunq; mors occupat illas, cum desponderint animos. Non ero longior in huiusmodi argumento, siquidem mihi tempus deesset. Tum aliquãtulũ sublatis oculis qui astabãt, pallidos omnes intuitus sum, ueluti clarißimæ ueritati omnino ignaros respõdendi, nisi quod

minis

minis & clamoribus sibi patrocinabantur. Tandem unus ex illis ad me conuersus inquit: Es tu in eorum sententia, qui nolunt opera nostra acquirere paradisum? dicente scriptura: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. et, Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis: de illis loquens qui bene operantur. Cum animaduerti necessarium esse ut essem illis ludibrio, uenit in mentem Dauidis, dicentis: Nisi Dominus fuisset mecum, forsitan aquæ uortex me absorbuisset uiuum. Itaq; egomet me consolatus sum, sperans me habiturum propugnatorem, ac defensorem meum, nostrum illum patrem, qui nostri causa misit proprium filium, ut is in ligno crucis pendens extremum efflaret spiritum, ut essemus fratres quidem Christi, illius autem filij. mecumq; loquutus, dixi, quo pacto non omnia mihi dabit cū illo? Quamobrem ijs quæ proposuerat respondi: Si spes nostra sita est in his quæ agimus, & meritis nostris, iam perimus, iam actum est de nobis uniuersis. non est enim qui faciat bonum, nemo inuenitur nisi unus, & hic est Christus. Et si dicimus, peccatum non habemus, nosmetipsos fallimus, & ueritas non est in nobis, dicit Ioannes. Et D. Paulus ait: Omnes sumus filij iræ, ac filij perditi. Quid ergo facimus? Quis Deum diligit ex totis

totis uiribus, ex tota anima sua? Nemo *unquam talis extitit, excepto Christo. Quis diligit proximum ut semetipsum? nullus nisi Christus. Quò res euadet? cum Paulus & testamentum uetus affirmet, execrationi subiacere hominem, qui non præstiterit quæcunq; scripta sunt in lege? non animaduertis nullo pacto fieri posse, ut eiusmodi præcepta præstemus?* D. Augustinus *idem clarissime testatur. Verũ hunc missum faciamus.* Nonne *dicit* Paulus, *legem afferre cognitionem peccati, & præceptum operari in nobis omnem uitiositatem? Lex spiritualis est, nos carnei toti: quis potest illam perficere? actũ de nobis est. quò nos uertemus? Scitis indui Christum, illi fidere, spem repositam habere in meritis eius, esse illud quod nos liberet à peccatis? Ab illo exoritur salus nostra. Deus enim efficit omnia gratiæ causa: misit filium suum, ut uestitus hac carne uersaretur nobiscum, perferret mortem, reuiuisceret, idq; totum ut nos eruaret: ut id esset factu facile, quod nobis nullo modo fieri posse uidebatur. Ac ita sese rem habere, ex eo probari potest, quòd D. Paulus ait: Si Abrahamus iustificatus fuit ex factis, apud homines iustificatus fuit, nõ apud Deum. Neq; ob id à bene agendo deterreo, aut bonas actiones uitupero: sed affirmo ob illa nos non fieri iustos, quoniam*

niam solus est Deus iustus, ac iustos efficiens impios ipsos: & cum impius aliquis incipit boni aliquid agere, scitote aut id non esse bonũ, aut si sit, iam illum iustificatum esse à Deo absq; ullis meritis suis, sed sola gratia. Et cum Deus nos donat fide, quæ certè donum Dei est, hæc fides nõ est inanis, non permanet ociosa, non torpet, ac ueluti umbra nunquam deserit corpus: sic honestæ sanctæq; actiones fidem nunquam derelinquunt. Non uituperamus eas, sed gloriam omnem Deo acceptam ferimus, ut ipse possit præmijs prosequi dona sua in nobis: utq; perspiciatur misericordia illius in altera impiorum parte, in altera, hoc est eorum in quos animaduerterit, iustitia. Verum primos absq; meritis iustificatos, postremos meritò damnatos qui non credit, iam iudicatus est. Interrogare cardinalem Contarenum uestrũ poteratis, num hunc articulum concesserit protestantibus, illum scilicet uerum, & sanctum (quem admodum est) agnoscens, & si uos illum in consistorio uestro noluistis cõprobare: quod si hunc negatis, quem cõcedetis? O quàm stupidũ est uulgus, quàm ignarus orbis, posteaquam sperat uestris concilijs restitutã iri Ecclesiam Dei. Cur itidem non sperant, Eridanum cõtrà atq; labitur retrò cursum mutaturũ: et ut amplius aliquid dicã,

& quod fieri nō poßit, Cur non sperant pisces in aridis montibus uicturos, & ceruos in mari? Sed hac de re hactenus satis. Cum igitur sermoni meo imposuißē finem, ecce ille qui omnib. honoratiori utitur sede, & plura gestat diademata in capite, quàm Lauretanū *illud execrandū simulachrum, aut quàm ceruus annosus cornua, superbo supercilio inquit:* Num *dixisti me caput esse Antichristi, & eos omnes qui me sectantur membra illius? Diu equidē incertus fui, expectansq; an aliquid uellet adiungere, repetit ille:* Nō *respondes? quia scis mihi esse facultatem tui interficiendi, & liberandi.* Ego *submissa uoce dicebam, nescio quid dixerim: tantum memini, loquutum sæpe me de Antichristo, & affirmasse id quod cōperio, uenisse Antichristū, illumq; fuisse ab initio: & quemadmodum dicit* Ioannes, Nunc *multos esse* Antichri*stos, siquidem omnes qui aduersantur Christo, sunt Antichristi: ergo excußis diligentius conscientijs uestris, considerate nū sitis imitatores Christi, an illius aduersarij. Christus non inuasit regna, sed fugit potius, non occupauit urbes dominationis causa, nō habuit mulas auro contectas et exornatas, neq; tot seruos. Venit enim ut ministraret alijs, & nō ut sibi ministraretur. Christus concionabatur, famelicos cœlesti doctrina pascebat, auxilia-* 1. Ioan. 2. Ioan. 6

auxiliabatur infirmis, sanabat surdos et mancos, satiabat esurientes, dabat lucem cæcis, uitam mortuis. Ac tam fuit immensa charitas illius, ut pro nobis ipsis peccati purgandi causa uoluerit agi in crucem, & mori, ut nos redderet immortales. At uos amabo incipite ab hora, qua emergitis è plumis, & diligentius examinate quicquid agitis dies noctesq; : postmodum mihi ostendite, num aliquid reperiatur in uobis eiusmodi operum. Vos qui estis pastores, quàm bene pascitis gregem? quàm probe sanatis infirmos? ut Acesias medicus, qui quorum acceperat curam, eis morbum duplicabat. Restituistis credo cæcis lucem, sanctæ uitæ exemplo: uerè potius eruitis eorũ oculos, ne possint cernere. Quàm promptè frangitis esurientibus panem? Canibus in quam frangitis illum libenter, qui tot sunt, ut ijs singulis annis ali poßint centena millia luporum. Vt liberales estis in pauperes? Sua ipsorum rapitis. Surdis auditum restituitis? quos surdiores diabolica uestra doctrina facitis. Claudis alterũ abscinditis pedem, ne possint rectâ fide incedere: cogitis enim illos ambulare obliqua operũ uia sine fide. De mortuis quid dicam? quomodo eis uitam restituatis, ardenti eos charitate calfacientes, cum uiuos occidatis, excõmunicetis, à synagoga expellatis uestra. Abige canem,

canem, est enim rabidus. Hæc sunt opera uestra, & uita uestra. Estis sanctissimi, castissimi, serui seruorum, cardines mundi, pastores ecclesiæ. Vsurpatis uobis huiusmodi titulos, ed falsò. Latê re iam non potestis sub istis præclaris titulis. Pau lus dicit Antichristum declarandum toti mundo. 1. Thess. 2.
pro explorato igitur habetote, si eritis Antichri*sti, fore ut uos* Deus *spiritu oris sui conficiat, & aboleat.* Euangelium *est tanquam fax, immò sol, quoniam patefacit occulta. Iam maior pars caliginem discussit ab oculis.* Deus & pater Domini *nostri* Iesu *Christi, cur non semel emollis hæc adamantina corda? Verè sentio moueri cor meū, et uestri me miseret: quoniam uidemini mihi obstinatus ille* Pharao, *cui non profuerūt minæ, neq; plagæ. Scio me ad quæstionem uocandū esse à uobis. sed postquā* Deo *uolēte hucusq; progressus sum, non possum amplius referre pedem, neq; deterius quicquam mihi potest contingere. Scio enim mortem propinquam esse. Quod si me interfece ritis, scitote sanguinem sparsum geniturū filios: augebitis uobis hostes. uoluntati enim, ac potentiæ* Dei *obsisti nullo pacto potest. Ecquid causæ est, cū ego, nōdū Christianus, de uobis pessime loquebar, cur ridebatis? quoniā omnino nunc uerbū dei est illud quod uos detegit, ac patefacit mū-*

do uestram ignominiam: ueremini ne amittatis Papatū, timetis ne eripiatur uobis administratio rerū, non animarū. nam si id esset uobis honori, et eo nihil aliud amitteretis, libenter ei aliquid largiremini qui eā susciperet, quo commodius, maioriq; licētia Sardanapali uitā exprimere possetis. Si ulterius quàm uelletis progredior, accipite excusationem meam, quòd huius rei caussa adsum. Quid? creditis Pasquillū moriturū? decipimini. nā in qualibet urbe nō unus, sed plurimi erūt Pasquilli. neq; enim taceri amplius potest. Miror D. Petrū Aloisiū huc nō uenisse, ut ipse in me quoq; periculū faceret. Sanctiss. pater, sanctitas uestra errauit, quòd illū huc nō duxerit. planè res tolerabilis fuit de Episcopo Fanense, per uim stuprato necatoq;, & minima uirtutū uestrarū. O principes Sodomeorū & Gomorreorū, audite uerbū Domini. Cum ad hūc sermonē uentū est, statim fui interpellatus, mihiq; dictū est, ne amplius quicquam: id enim satis nimis intelleximus. Age, dic tuā de peregrinationibus & uotis sententiā. Tū ego, hoc ignoratis inquam? uerum et hic parebo uobis, ac me expediā paucis. De peregrinationibus: sanctius est, immò sanctißimū, se domi continere, ac exercere pietatē erga familiā suam, ad quā quisq; uocatus est, neque inaniter abuti pecunijs suis

suis & alienis, & frustra perfungi laboribus non sine discrimine uitæ, & honoris uxoris, filiorũ, totiusq; domus suæ, cũ derelinquat eos quos Deus illius tradidit procurationi, & eat quæsitũ id quod ignorat. Hoc docet Paulus ille apostolus: *Qui suorũ, inquit, præsertim domesticorũ curam non gerit, infidelis est, atq; infideli deterior.* De 1. Timoth. 5.
uotis: ubi ille ijs quæ in baptismo uouerit, satisfecerit, postmodũ aggrediatur quicquid illi libitũ fuerit. pollicitus est nunciũ remittere pompis, diabolo & carni: quãdo huiusmodi promissũ perfectè præstabit? Hæc igitur sunt Christiano per omnẽ uitã meditanda. De confessione quid sentis, inquit Teatinus. Tũ ipse: *Arbitror, inquã, tria esse confessionũ genera. primũ est confiteri Deo cõmissa scelera, imperfectionẽ suam, ostendere se sine illius auxilio nihil posse. Secundũ, assiduè illũ laudare pro tãtis muneribus: toto terrarũ orbi, illius amplitudinem, sapientiã, bonitatẽ prædicare, nũquã desistere ab eius laudibus. Tertiũ et postremũ est, pastorẽ euangelicũ, doctũ & pium conuenire: si quid male habet conscientiã, aperire: petere ab eo cõsiliũ, habere illũ loco ministri Dei, cum mihi euãgelizat nuncium optimũ: ubi redigit in memoriã, Deũ per Christũ pepercisse mihi, et cõdonasse peccata mea, illud subiũgẽs, cõfide frater,*

 peccata

peccata tua. Hoc *non summũ affert auxilium? summam consolationem? non liberat ab inferno? non soluit fratrem quoties id credit? sic ego acci pio confessionem. Quòd autem aiũt, pro remissio ne peccatorum sic & sic precare, ter tale templum adi, tot missas fac celebrare, & huiusmodi innumera, contra Christi sanguinem & satisfactionem inuenta, nequaquam mihi arridet: illud uero perplacet, Christianum semper horrere peccatũ, ac uitam eius planè perpetuã quandam pœnitentiã, atq; innouationẽ: ingemiscere quòd non possit deum diligere super omnia, & aliqua re proximũ ut seipsum. Dicerem plura, nisi mihi uiderer uerba frustra consumere. Quẽadmodũ in primis operæ preciũ sit recõciliari fratri, si inter cesserit indignatio iure uel iniuria: petere ignosci sibi ab illis, quibus ansam peccãdi præbuit.* Video *mouẽtes labia, ut illud in me iaciant: In pecca to natus es, & uis nos docere?* Profectò *principes, sapientiam suam deus simplicibus, ac illis qui nolunt scire ea quæ sunt mũdi, patefacit. qui credit se multa scire, nihil scit: qui opinantur se esse aliquid, nihil sunt: qui putat se stare, cadit. Quærite Christũ, ut illũ ametis, imitemini, non ut occidatis, quemadmodũ* Herodes. *Atqui uelim ex te scire (inquit magister sacri palatij) quid iudices*

de

de cœnobijs,& monachorũ habitu:laudas? Ego uero laudo Deũ,inquam,et opinor fore ut si redirent qui hæc collegia constituerunt, ea radicitus extirparent,si secus corrigi non possent.ædificatæ fuerunt ædes audiendi uerbi dei caussa,institutæ fuerũt congregationes tanquã scholæ,docendi gratia, sed post omnia peruersa sunt. gestant habitus,ut uideantur sanctiores:uota uouent, ut sibi precio mercentur paradisum:noua inueniuntur instituta,ne obseruent quæ sunt Christi. Ea ætate nati sumus qua rectè dici posset: Beatæ steriles,quæ non pariunt. Otiosi,et prætextu religionis omnia uorantes,terræ põdera, fruges tantum consumere nati,cogendi essent per sudorem uultus panem edere suum. Et hoc pacto celebratum esset,& pro peracto haberetur concilium, & resarcirent panem sen um,mancorum,pauperum,qui non habent unde uiuant. Omitto quantũ utilitatis afferrent miseris uiduis,simplicibus, quæ sunt imperitæ rei familiaris, quæ struendis sacellis,exædificandis ædibus, celebrandis anniuersarijs,missis Gregorij omnia consumũt.Et certe nulla est rustica tam egena quæ fraudatis hac parte liberis, ex eo quod poßidet,& si ferè nihil poßideat, tamen non relinquat aliquid, quo hæ missæ celebrentur. Quousq; deus illudet hostis? Lucæ.23.

an in perpetuum proscindet nomen tuum hostis? defessus sum præ nimio dolore. Surgens autem Cardinalis Britannicus, inquit: Pasquille, excidit tibi unquam ex ore, in hostia consecrata non esse uerum corpus Christi? & in uino uerum sanguinem? tot criminum te reum faciunt, ut obstupescam. Respondi: Reueren.mu, nunquam profectò id dixi, neque inquiro quo modo ibi sit: satis est enim mihi credere, uere panem illum, ac pari quoque modo uinum, signa esse sacra ueri corporis & sanguinis Christi, quæ fide accipio, edo, bibo, ita ut me in Christo uiuere, & ipsum in me sentiam: & cum sentio me iactari & oppugnari à carne, tunc infirmus confugio ad medicinam, ad cibum meum qui mihi robur & fortitudinem affert, restituitq; ualetudinem: ad Christum inquam. alia quædam in eam sententiam dicere uolebam: sed Cardinalis, ut paucis te expediam, inquit, de libero arbitrio quæ tua est opinio? Seruum, non liberum esse puto, respondi: nullum enim salutis bonum est in potestate nostra, sed omne positum est solum in manu dei: quicquid mali est, id totum nostrum est, & ad nos solos pertinet, nihil deum contingit: & quoniam male agere nō est posse, immò deficere, arbitrium quo utimur ad male agendū, non arbitror dignū esse ut

liberum

liberum appellemus: sequitur ergo, hoc uerbū liberū hic non habere locū ullū, id est, nihil pertinere ad aliquid boni, uel mali peragendū: relinquitur aūt solum uerbum arbitriū: idq; locum obtinet tantū in malo patrando, in bono omnino neutrū horum uerborum obtinet locum. Tunc euaserūt omnes attoniti, se alter alterū inuicem intuentes. Nunc ad gratiam. Credis Deū illuminare quos uelit, cum uelit, quo pacto uelit? Planè ita credo, respondi. Prædestinationem quomodo accipis? prædestinatum, inquam, seruari ad uitam, reprobum damnari: ac ante mundi constitutionem qui beandi sunt, nullo suorum meritorum respectu, sed Christi solius, electos fuisse. Date mihi ueniā. nimis enim sum lassus: et quū satis multa dixerim, non possum tamen & uobis & mihi satisfacere. Probe aūt scio, dixisse me quæ cupiebatis audire, ea de causa ut hinc nancisceremini occasionem damnandi mei, & quæ Deus decreuit faciendi. nā nihil præterea in me potestis. Ac tūc surgens Pōtifex, dixit: Principes, iam tēpus est hinc abeūdi, inclinat enim dies, in alium ergo differemus diem. præclarè intelleximus sermonē habitū à Pasquillo. ac mihi molestū est miserū hac insania laborare: & nisi mutet consiliū, eruā ego istā ex capite illius insaniā, quēadmodum solita est erui pertinacia

ex capite equorum sternacium, qui igne cogun- tur recte incedere. Non possunt amplius tot hæ- *reses perferri. Proponemus exemplum toti mun- do,& timebimur: aliter cuilibet scelerato facul- tas esset nos conscindendi, uituperandi, ac insu- per priuandi nos dignitate nostra.* Pasquille, co- *gita & meditare statum tuum: nolumus amplius has tuas nugas: non opus est tot sacris scripturis, neq; toties habere in ore Christum: oportet parē re, et nolle esse sapientiorem tuis maioribus.* Sa- *tis est male agi nobiscum à Lutherianis, neq; opus est ut addas oleum igni. uolumus homines sentire nobiscū, & eadem loqui, neq; perferimus qui ue- lint tenere primas. rem tenes? Sunt nobis statuta nostra, decreta nostra, & decretalia, edictis no- stris parêri uolumus.* Tu uero Pasquille amittes *uitā. nam aliud remedium non inuenio, quo hanc tuam importunitatem depellam.* Credis nos esse *ita stupidos, quin & nos aliquid etiam perspicia- mus?* Memento hanc non esse ætatem diui Petri, *nunc ita uiuitur.* Speramus autem breui talem *nos rationem inituros esse, ut facile aduersarijs silentiū imponamus.* Hoc nunc Christus nego- *cio non se implicat, sed illius curā reliquit nobis.* Audito ego tam superbo sermone, respondi: atqui *necessitas me cogit princeps, ut prætereu paucis- simis*

finis alloquar: Creditis opera Lutherianorum (sic enim Euangelicos appellatis) esse ex Deo? Si negatis, cur diuinis solidisq; Apostolorũ testimonijs illos non refellitis? At si sunt ex Deo, potentiæ diuinæ uultis obsistere? Ne plura Pasquille, omnes una uoce, uno ore cõclamabãt: Cõijcite illũ in carcerẽ, forsitan aliter loquetur. Conuersusq; Põtifex: Principes, inquit, de hoc aliàs. itaq; discesserunt. Ego uero uinctus manus & pedes, ductus sum in carcerẽ, eoq; loci positus ubi nunquã uiderim lucem, timeoq; ne id cibi perpauci quod datur, capiãt aures potius, quàm os. Locũ enim incolo, ubi ne serpẽtes quidem uiuerent: neminem alloqui possum, neq; scio quo pacto potuerim hoc pusillũ exẽplar edere in lucẽ, nisi quòd id mihi licuit per quẽdã amicũ meũ, quem tamen affirmo uobis timere, ac totũ contremiscere, ne fiat collega meus. Fratres charißimi pro me Deũ obsecrate, ut me eripiat è manibus Antichristi, mihiq; donet fortitudinẽ & sapientiã aduersus to mundi huius monstra: hic sum in imo turris, neque erubesco uinctus causſa Christi. Fratres, bellũ imminet: aſsumite igitur totam armaturam Dei, et permanete in fide, mundoq; ostendite uniuerso uos seriò eße Christianos, et accipietis coronam uitæ, & beatæ immortalitatis.

FINIS.

PROBVS.

LVCII, ET PROBI.

LVCIVS.



VT ego fallor, aut oculi mihi cæcutiunt, aut hic Probus meus est. nisi fortè illius umbra me salutatum uenit. nam pessime ab Annis istis, & Caiphis illum tractatum scio. uerum quicquid sit, quando Probi mei os atq; habitũ gerit, à me pro Probo salutabitur. O probe optime salue. PR. Salue & tu mi Luci. sed dic mihi per Iesum, quid'nam me modò uiso restitabas? L V. Subueritus sum nescio quid: nam neq; alius, neq; ipsus mihi conspicari uidebare. PR. Quid ita? an nõ idem pallium, eadem barba, idemq; uultus? L V C. Idem prorsus ut nunc uideo. Sed hei mihi, quantum mutatus ab illo? Pallium, barba, uultus, carcerario situ obducta, præterquam quòd barba promißior, uultus pallidior, uereq; luridus est. in summa, captiuis à Pylo similis totus. PRO. Atqui animum eundem quauis sui parte planè esse scias, neq; uel tãtillum immutatum, locóue motum: nisi quod iuxta prouerbium, ictus magis sapit. L V. Ergo prudentia

prudentiæ parens est ipsa malorū patientia. PR. *Quin & ipse meo periculo sapies, si quo'nam pa cto mihi euadendum è uinculis fuerit, audire ua cet.* LVC. *Edissere obsecro, si me amas. Nam mihi peregrè redeunti nunciatum est, te incanta mentis quibusdā catenas dissoluisse, aufugisseq́; quod, ita me Deus amet, incredibili mihi uolupta ti fuit.* PRO. *Deamo enim te, Luci, et quidem efflictim. quare ita ut res habet, à me tibi nar rabitur: nullus hic arbiter, nullus Corycæus au scultare potest. quippe latè patent campi, & ser mo noster hac deambulatiuncula absoluetur.* LVC. *Iam mihi nescio quid insolitum, ac Probo dignū præsagit animus. Incipe quæso: et neq; uer bis, neq; tempori parce. nunquā mihi gratius cō tingit quicquam, quàm quū te loquentem audio.* PRO. *Hoc amor in me tuus, haud bonus con sultor, tibi persuadet. Age igitur, fabulam totam meæ captiuitatis tenes, opinor?* LVC. *Plus quam uellem. quis enim nesciat, Sathanam, ut quondam, ita & nunc satellites suos in Christi seruos, extinguendæ ueritatis caussa, concita re?* PRO. *Id planè: sed uincet ueritas tan dem, uti dignū est. Ergo postea quam satis tutus nusquam eis uisus sum, quanquam sursum deor sum ductū diuersis me inclusissent carceribus: ue*

rebantur

rebantur enim, ne quo modo clàm eriperer. tandẽ inuentus est locus (ut illis uidebatur) uel Tul liano Romano tutior. is cubiculum est mediũ, inter cœnaculum ipsum & duo alia cubicula, quorum in altero præfectus, in altero ministri cubabant. Huc *me nocte intempesta per longa atria pertrahunt, eucstigioq́; compedibus ligneis, magnitudine penè incredibili, pedes conuinciunt.* Interim *percõtari, disquirere, consultare quid de me.* Ego *supplicijs, gemitibus, lachrymis,* Deum *aßidue orare, postulare, obsecrare, si suæ ipsius gloriæ referret, me ab impiorum manibus eriperet.* Id *quod cum per aliquot dies à me esset factitatum, adfuit* Iesus *Christus, uiamq́; aperuit quà mihi pateret egreßius: quam, nihil ueritus, statim attentare occepi.* L V C. *Iam uideo magicis artibus hic nihil loci esse : siquidem nihil usq; adeò auersatur* Christus*, atque huiusmodi præstigia.* P R O. *Audies.* Venit *iuuenis cui me custodiendũ commiserant.* Hunc *ego rogitare cœpi, alterum compedibus pedem eximeret : satis esse, ſi uno à tanta mole detinerer : me non esse aut Centimanum* Briareum*, seu* Dædalũ*, ut uel tantum onus efferre, uel liquidum poßem secare aëra.* His *ille, ut ingenio erat minime malo, persuasus, pedem alterum soluit.* L V C. *Num'nam machinam tantam*

tam

tam dimouere sperabas unico fretus pede? PRO. *Nondum ad epitasim uenimus. Sic unus, & itē alter præterit dies: interea ego me ad reliquam partem accingor. Tunica linea tegebar, quam ue rius linum quàm linum diceres. hac, ipse exutus caligam alteram, qua liberum crus uestiebatur detractum, stipaui, adq; ueri cruris formam apta ui, addito calceo, quo uniuersa uero cruri respon deret.* Deerat adhuc aliquid, quo molle ac lentum crus tibiaq; rigesceret. *Hic ego omnia cogi tare, anxieq; circumspicere.* Et ecce, *stipitem arundineum sub sedilibus quibusdam de more continuis cerno.* LVC. *Haud dubie ab optimo Deo in hunc usum seruatum.* PRO. *Quis du bitet? Hunc protensa quam potui manu (sedebā enim super latericium pauimentum) auidus corripui, inq; commentitium crus decenter immisi: mox sub pallium uero contracto crure, atq; in illius locum substituto altero, experiri cœpi, an suc cederet ex sententia.* LVC. *Quid enim non succederet, uolente Deo?* PRO. *Recte censes: nam uoluntati illius, ut Paulus inquit, quis resi stit?* LVC. *At nondum intelligo quorsum'nā istuc?* PRO. *Scies. redit ad me bonus ille iuue nis, postridie hora ferè uicesima, rogans quid'nā agerem: non pessime, inquam, si per te liceat alte-*

ro

ro frui crure, isto nihilominus (mentitum protendens) prius concluso: ut uel alternis requiescere, tua humanitate, detur. tum ille annuit. L V. *O factum bene, ut comicè proclamem, beasti me. Sed restat scrupulus: quo nam pacto tot conclusus ostijs, tali stipatus custodia, perlonga atque incognita atria quiueris euadere.* PRO. *O Luci, Dei sunt perfecta opera. Num pauloante dicebas, nihil non Deo uolente succedere?* L V C. *Ita profectò est.* PROB. *Vesperascit, adfertur cœna. Ego tametsi spem inter & metum, nihil minus quàm esse cuperem, tamen ne quam nouitas suspicionem pareret, pusillum aliquid tuburcinari placuit. Cubitū itur, solus relinquor. Deinceps ad aliud atque aliud ostium suspenso gradu ire perrexi, accessi, astiti, animam compressi, aurem admoui, ita animum cœpi attendere, num dormirent, num quis moueretur, loquereturúe. Vbi cuncta quiescere animaduerto, quosdamq; stertentes sentio, mentitum detraho crus, rursusq; tunica intima induor, unaq; ad abeundum me probe compono. Sed priusquam pedem profero, supplex Deum breui oratione imploro.*

L V C. *Christianè tu quidem istuc. meminekras enim Christum monuisse, ne orantes simus* Mat. 6.
multiloqui. Et gentiū doctorem illū βαττολογίαν

execratum

execratum esse. Sed num quod tu ibi uotum mo re periclitantium emisisti? PRO. *Quid ni? & quidem uotorum maximum, atq; sanctißimum.* LVC. *Religionis forsitan?* PRO. *Quid religionis narras?* LVC. *Quasi non noris quæ sint* Franciscanorum, Dominicanorum, *aut* Bene dictinorũ, *et eiusmodi sexcẽta religionũ nomina.* I. Cor. 1.
PR. *Me docuit* Paulus, *Christũ nõ esse diuisum: nec in cuiusquã hominis nomen* Christianos *esse baptizatos.* Et *Christus ipse, omne regnũ in se di uisum periturũ prædixerat.* L V. Num *Compostellanũ* Iacobũ, *seu* Lauretanã *uirginem te inuisurũ deuouisti? nam damnatorũ utrobiq; innumera sunt appensa uota.* PR. *Vetuit* Christus, *ne foras ad se quærendũ exirem, cũ ubiq; præstò sit,* Mat. 24.
præsertim in hominis pectore, quod Paulus Dei 1. Cor. 6.
tẽplũ appellat. L V. *At pleriq;* Hierosolymitanũ *uel maximũ cẽsent, nã hoc haud temere dissoluit Põtifex. terra enim illa sancta est, utpote quã suis pedibus preßit* Christus *redemptor noster.* PR.
Verũ: at idem per Prophetã dicit: Cœlũ *mihi se* Isa. 66.
des est, terra aũt scabellũ pedũ meorũ. Nec *uideo meliores redire, qui illuc accedũt. Cœlũ, non animum mutant, qui trans mare currunt, ut Poëta ille uerissime dixit.* LVCI. *Si castitatem non es pollicitus, nescio quid maius polliceri*

à

à te potuerit. PRO. *Et si ista non ignoras, percontanti tamen non grauabor respondere. Castitatem polliceri in manu hominis est, præstare uero Dei. Docet Deus per Salomonē: Et sciebam non posse esse castum nisi deus det. Polliceri quæ præstare nequeas, ea demum temeritas est, meráq; insania. Quid quòd in matrimonio quoq; castitas optime seruari potest, dū cōnubij seruatur fides & integritas.* LV. *Quod igitur ob secro uotum istud est?* PRO. *Me totum meáq; omnia Christo Iesu liberatori nostro deuoui, rogans, ut ne deinceps me meis sineret agi cupiditatibus, sed spiritu illo suo traheret ad se, meq; ceu figulus luto, ad suam ipsius uteretur gloriā.* LV. *O uotum uere Christianum, quod omnes in mystico lauacro fecimus, & pauci præstamus. Satius est enim illa Deo offerre pro munere, quàm quæ passim è tholis pendent anathemata. Quod et Satyricorum acutissimus uidit, cum Deo offerendum ait,*

*Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.*

Et noster Pindarus Dauid: Sacrificium deo spiritus confractus: cor contritum & humile. Sed perge: nam de his aliàs fortaßis tempestiue. PRO. *Ab oratione leuiter surgo, à laeua cœnaculū peto.*

Hic primum noua res oblata timorē (ut ille ait)
Leniit: hic primum dubijs sperare salutem
Ausus, & afflictis melius confidere rebus.
Nam ostiū, quod cardinū ingēti cū stridore antea aperiebatur, adeò tacitum à me tunc reductū est, ac si nullum, aut immotum esset. LV. *Quid? an non claui opus erat ad reserandum?* PRO. *Minime: solo enim pessulo, cui pendebat fibula, intus firmabatur. quare hac ut euasi, per cœnaculū tentans obambulo, tandem per alterū ostium in cochleam imprudens incidi: descendo, claui firmißima ianiculum inferius clausum offendo.* LVC. *Auribus scilicet lupum tenebas.* PRO. *Profectò: ni Christus tulisset suppetias. Cochliū de integro conscendo, atq; ascendendo fenestra quædam offert sese, cuius altitudinem indicio graduum interius deprehendi: tam cæca enim erat nox, ut cauædij solum è fenestra minus peruideri posset. animaduersa igitur, à solo exteriori adusq; eam non amplius pedes duodeuiginti, quàmprimum me ab ea demittere optimum ratus, prius pallium, ut in id caderem, mox quàm leuißimè potui & memet deorsum dedi.* LVC. *Num quicquam aduersi in ipso casu accidit?* PR. *Nihil: Dei fauore.*
LVC. *Quid tum postea?* PR. *Tum extemplo ad decumanam prætorij rectà maturo, explo-*

raturus an tantum ligneo repagulo, ut plerunq; fit, obfirmata foret introrsum. Verum ea quoq; res me falsum habuit. quippe ea ferreo uecte, & claue exitum prohibuit. Ergo reuocato gradu circuire horti ac uiridarij muros aggredior. Sed id quoq; frustra. Nā ultro citroq́; commeans, integram iam horam perdideram. defessus itaq;, ut morti quàm uitæ proximior, non iam auxilium, sed lucis huius exitum, tanquam causariam mißionem cupidißime postulabam. Sed ô Luci, quid subrides? LV. *Quòd extra periculum ista narres. Subitóq; illud: λύκος περὶ τὸ φρέαρ χορεύει. Cæterum an non & te quoq; nonnihil horū meminisse iuuat?* PRO. *Negare non possum, præsertim cum tui similibus.* LV. *At ego Sadduceos istos ista uehementer rescire uelim, ad Dei gloriam, & suam ipsorum ignominiam.* PRO. *Fateor, si resipiscerent. uerum nec oleo, nec lignis flamma restinguitur, sed contrà accenditur magis.* LV. *Sinendos igitur censes?* PRO. *Censeo, donec interficiat eos Dominus spiritu oris sui. tempus enim prope est, tantū qui nocet, noceat magis: & qui sordidus est, sordescat magis: & qui iustus est, iustior fiat: & sanctus, sanctior. neq; enim sinet nos Pater Cœlestis tentari supra id*

quod

quod poßumus: sed faciet cum tentatione euentum, quo poßimus sustinere, ut noster Paulus ait. L V. *Sed quibus nam adminiculis, ut ad id redeam, arduas proculdubio muri pinnas superaris, audire gestio. hic nanq; tibi paria facere erat necessum. hoc est, tantundem prope ascendere, quantū à fenestra illa descenderas.* P R. *Quibus ô Luci, nisi diuinis? nihil enim illic repertum est, quo nixus me poßem altius attollere.* L V. *Posticum forte quidpiam, fauente Deo, expugnasti.* P R O. *Ne id quidem: uerū dum his difficultatibus circumuentus incassum satagerem, obortum mihi sidus est, insolitum lumen offundens, adeò ut umbram lunæ instar relinqueret. Et ne forsitā hoc tu Veneris iubar existimes, nocturna sidera nondū mediū itineris cōfecerant. Nāq; simul ac muri summū insedi, septima sonuit hora, sub ipsum brumæ tempus.* L V. *Accipio. in ipso uidelicet autūni extremo.* P R O. *Tenes. quo sidere plus'ne mihi spei, an metus accesserit, nescio: certe ipso me lumine detexerat, si quis forte meorū custodum in eam partē oculos intendißet. At in utramuis illi omnino aurem dormiebāt: ipse uero meæ ipsius salutí inuigilans, cœlesti splēdore utendum duxi. Proinde murū rursus, quàm longus est lustrare*

cœpi, donec ad angulum perductus cum altero muro iunctum conspexi. Inde propius accedens, uetustate omnium consumptrice corrosum utrunque ac præruptum comperi, ita ut aciem pedum, extremasq; manus in se posset admittere. Quare angulum illum uaricus scandere molior. Verum simulatq; paululum sublatus humo, in muro pendere cœpi, saxum quod manu apprehenderam, ingenti unà mecum ruina decidit. LVC. *Hic re uera inter sacrum & saxum positus eras. Mirum ni aliquod membrum fregeris.* PR. *Nullum ô Luci. quin tanquam mollissimo cubili exceptus, illæsus desedi. Verum omnia mihi adeò exiliebant præcordia, ut magnum præsentiscere concurrentium strepitũ uiderer, cum interim nusquam gentium ulli mouerentur.* LVC. *Terrore, opinor, atq; pauore istam in te concussionem excitante.*

PRO. *Scitè coniectas. hic ego paulisper constiti, imò iacui, auribus arrectis, atq; oculis defixis. ut autem neminem propinquantem cerno maiore nixu gradum per murum facio, ac tandem pinnæ eques insisto. Dein sensim ex aduersa muri parte in uiam delabor: inde domum clarissimi iuxtáq; doctissimi, ac pij inprimis uiri Philoxeni Nucei, nosti hominem, quàm erga me bonosq; omnes adfectus sit, me actutũ, Deo duce, recipio.*

His

His ego incantamentis, hac me magica obseruatione è uinculis eripui: imò, ut piè dicam, me Christus liberauit. Qua in narranda si prolixiore aliquanto, quàm par erat, oratione usus sum, optime Luci, *tibi ipsi imputare debebis, qui me ambages hasce persequi uoluisti, cum tribus uerbis summam rei tibi patefacere statuissem.* L V. Non *uideo quid ista tua liberatio differat ab ea, qua Petrus Apostolus ab Herodis manu, & omni expectatione plebis Iudæorum ereptus est. Siquidē & pro te Deum precabamur aßiduè, quotquot ex animo Christum colimus: & excitauit te spiritus* Dei, *cum nihil tale de exeundo cogitares. Sed nec mortalium quisquam huiusmodi liberationē unquam audiuit. Fuisse uero angeli splendorē lucem illam, sine qua egrediendi uiam non cernebas, quis ambigat?* Facit enim Deus *angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam. Quæ, quia impij isti peruidere non possunt, ueneficij Christianos insimulant, quia* Dei *ueritatem, sanamq; doctrinam cæci ignorant, damnant hæreseos, excruciant, mactant, congredi nolunt, ne rationibus superentur: audire nolunt, ne erudiantur: aspicere nolunt, ne fortè uideant, & redeant in uiam, et sanet eos* Dominus. *Cæterum,* Luci *mi maior est nostra neceßitudo, quàm ut uel tu mihi,*

Act. 12

Esaiæ 6

uel ego tibi pro ullo beneficio gratias agere debeam: alioqui Tulliana facultate opus erat, ut pro hac gratia dũtaxat, meritas tibi agerem gratias. Nam cum me antehac in tuorum numero, qua humanitate es, semper habueris: nunc potißimè tibi huiusce rei haud leui argumento fidem facere placuit, rem tantam, mihi uero apprime frugiferam aperiendo: idq́; tanta sermonis cum iucunditate, tum grauitate, ut dispeream, ni mihi in animum mera tripudia, tenacesq́; aculeos reliquit oratio tua. Vtinam mihi huiusmodi ambagibus, te incolumi sæpius frui liceat. PRO. *Et mihi tali auditore, qui tam belle percontetur, tam piè dubitet, seu potius dubitare fingat, tam doctè conijciat, tam scite colligat, ut differentem alioqui uulgarem ac rudẽ, aliquid uideri faciat. Sed iam summa procul (ut quando in agris sumus, Tityrum agam) uillarum culmina fumant,*

Maioresq́; cadunt altis de montibus umbræ.

Porrò, si tibi cordi est mihi rem gratißimam facere, mi Luci, hanc noctem mecum in proximo hic pago eris. Illic enim liberè congerrones agere licebit. LVCI. *Nihil mihi magis in uotis est, quàm ut tali amico, si quando usus sit, morem geram. Quare si quid me uis, iube.* PRO. *Te uellem consuetudinis gratia.* LVC. *Me semper*

per habes, & ego te. Nam locorum ſpacia non dirimunt amicorum fœdera. Nunc me urbana uocant negocia. Quod ni ſcirē te iuſtiſſimis de cauſis urbem hanc uitare, te mecum ad eam inuitarem. Si quid tua cauſa in ea me curare uis, uel nutu ſignificabis. PR. *Niſi ut ualeas.* LV. *Valebis & tu, optime.*

FINIS.

DIALOGVS SFORTIA. PERSONAE.

Mercurius, Franciſcus, Sfortia, Pluto, Charon, Aeacus, Stentor, Normus.

MERCVRIVS.



ST'ne is Pluto, quem procul læuorſum iter à nobis diuerſum ſcandentem uideo? Quippe aureum ſceptrum, regium diadema, purpurea baſilica, auro, ſapphiris, carbunculis, ſmaragdis, topazijs, amethiſtis, chryſolithis, hyacinthis, adamantib. Eoisq; *unionibus intexta, picturata, diſtincta, mihi hūc ipſum eſſe perſuadent. Porrò ſi is ipſe eſt, ſolito tū lætior, tum etiam concitatior incedit. Sed enim ipſius eſt: nam & comites illius, honorem, faſtum, aſſentationem, luxum, amicitiam, & quæ paulo longius inſequuntur, inuidiam macie confectam, & palliatam tyrannidem agnoſco. ipſi itidem ab hacce uia paululum diuortamus, occurramus regi.* SFOR. Pergè Mercuri, ponè ſequar (ut par

par est) quócunq; uoles. MER. *Neq; enim eũ adhuc nos uidisse reor. Heus?* PLV. *Mercurius est. O Mercuri fidelis, bonum sit iter?*

MER. *Imò optumum, Pluto maxume, auspicatißime, festiuißime, postea quam te obuiũ ha bemus. Quare, si te Proserpina pulcherrima hoc mane abeuntem dulciolis amplexibus, nectareis, dulciolisq; suauiolis prosequuta est, age (quæso) quó nam, & quid causæ te hac tempestate tui regni metas transilire cogit?* PLV. *Ad Carolum Austriacum Cæsarem inuictißimum erat iter, qui post res tantas præclarè terra mariq; gestas, meã (pecunia exhaustus) hactenus opem benignam expectat.* MER. *O Pluto, nouit Carolus te hac de causa ad se esse uenturum?* PLV. *Nouit, & quidẽ ab incunabulis. nam ex illo tempore, Fortunam germanam ei in ducem addixi meam, cuius munere, auspicio, nutu, & præsagit & peragit uniuersa. Verum, num istæc omnia abunde per te nosti, qui non semel ad eum, noster caducea tor, profectus es?* MER. *Vera narras. At per Stygiam paludem iuro, me ex quo Clementi Mediceo Papæ mortalia abstulisti lumina, adeò huic consopiendo insudasse ut mea, nedum aliena, negotia oblitus siem.* PL. *In tempore istius memi nisti. mihi enim, quisnam esset, erat animus modo*

 sciscitari.

ſciſcitari. MER. *Dux Mediolani Franciſcus Sfortia hic eſt. quem ad te in ſortē, partemq; tui regni ductabam: utpote qui bellè regnandi callet artem. Proinde, cum tibi nonnunquam, ſummis curis occupato, in fratrum tuorum regnis diutius commorandum ſit, huic tu umbrarum curam delegare tuto poßis.* Nec eſt quod Parin te domu relicquiſſe *timeas, quin potius* Hippolytum, *ſiue* Melanionem *aliquem, niſi tu quoque* Ganymedi *metuis.* PLV. *Neq; enim uel* Menelaus, *uel* Dieſpiter *ſum, ô* Mercuri: *ſed non capit regnū duos. Et iſtius fama iampridem per mea regna inuulgata eſt: nec quempiam apud nos reperias, qui uel eius nomen audire ferat: uno aut altero excepto, ô dux, qui tuo aduentu lætabundi, ſperant ea paſſim hic per te ſibi licere, quæ dū uiuerent, ſumma cum impunitate perpetrarunt.* Nec *obſtat duorū alterū, pecuniæ (quam mutuo ab eo accipere, ea tamen lege, ne unquam repeteret, uolebas) denegatæ cauſa, tibi inuiſum mortem obiſſe: quum interim adprime charus tibi ipſi foret antea.* Nā *te ut cœlū, ac item reliqua, ita animum maxume immutaſſe autumat.* SFOR. *De illo in præſentia ne mi quidem. Cæterū enarra, (ni piget) quid nā illud eſt, quod tantopere à me ſibi umbræ metuunt?* PLV. *Dicā, quando tibi* Anagyrim *accerſis,*

cerſis, atq; Camarinā hanc deducere tentas. Illas acerbiſſimas exactiones capitū atq; oſtiorū exhorrent. At id omne parū eſſet, ſi uiuis contentus, ab ipſis mortuis (qui meo iuri penitus ceſſere) item peraſſes, neq; falcē in alienam inieciſſes meſſem. Tyrannicè quidem iſtuc, contra omne ius, faſq;.

SFOR. *Bona uerba, mi* Pluto. *neq; enim tyrannus ipſe unquam fui. tametſi meo uſui, quid dico uſui? imò egeſtati, quoquomodo pecuniam comparare uellem. Cōparabam autē ab his, quibus tanq̃ pater iure imperitabam. Iam ſi filij parenti neceſſaria miniſtrare tenentur, idem uero contumaces & inhumani erga patrē id agere refugerint: ius erit patri ab ipſis uel inuitis auferre, quæ ſibi opus eſſe duxerit. Quod ſi tyrannus, ut obiectas, forem, hucuſq; hercule citra ſanguinem haudquaquam deſcendiſſem, ut uere cecinit Satyricus:*

Ad generum Cereris ſine cæde & uulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

Et exemplorum plenus eſt orbis. PLV. *Imò ab ipſo Franciſco Attendulo Cutignola, primo ex Sfortiadum proſapia duce, ſeu ut uerius eloquar, Inſubrium tyranno, abs quo & nomen, & conſentaneum factis cognomen habes, & per manus deinceps à cæteris traditam tyrannidē, quippe hæreditariā, uendicaſti, tenuiſti, amplificaſti.*

Quorum,

Quorum, nempe maiorum tuorum, in Gallijs ca ptiui quatuor, ob tyrannidem uidelicet hostibus proditi, uitam exegere: duo in ipsa Mediolani urbe, tyrannica morte obiere. Nunc is qui nepotem ex fratre, quo ipse tyrannidem occuparet, to xico morti dedit, an tyrannis etiam atrocissimis adnumerandus fiet, quòd tuus pater esset, tibi integrum relinquo. Iam uero quid de te referam? quibus te pingam coloribus? quem Phalarim euo cem? aut cui te melius conferã, quàm te tibi? quot fame, ferroq; tua causa periere? quot proculcatæ segetes? quoties abacta pecora? quot incensi uici? quot exustæ uillæ? quot etiamnum squalent abdu ctis arua colonis? Vt taceam diruta mœnia, popu latas urbes, uiduatas matronas, constupratas uirgines, incestatas uestales, polluta euersaq; templa, tot orbos senes, tot orphanos liberos, tam de prauatos mores, tam multas scelerum facies, tantum funerum, tantum luctus, tantum lachrymarum? Quid memorem extinctas artes? oppressas leges, abolitam religionem, promiscua facta diuina humanaq; omnia? sublatum fas, ascitumq; nefas? & quid non? Quæso te, sint'ne hæc humana facta, sint'ne isthæc patris officia? I nunc, & te tyrannum abnue: quod non uidelicet iugulatus es? Ecquos nobis deuouisti? qui ad tyrannicidæ bra-

Is fuit Ludouicus.

beum

beum aspirarent. hæc neutiquam ibis inficias, credo. nã ut ipse taceas, lapides loquẽtur ipsi. Quod haud mirum est. nõ enim ibi consistunt exempla, unde cœperunt. sed quamlibet in tenuem receptà tramitem, latißime euagandi sibi uiam faciunt. Et ubi semel recto deerratum est, in præceps peruenitur. Nec quisquam sibi turpe putat, quod alij fuit fructuosum. Esto sanè, istuc incruento tibi euadere contigerit: nunquid nam absq; uulnere? Adhæc, uiolentæ, necis neq; unum, neq; idem genus est: nam, mille modis lethi miseros mors una fatigat. Quî scis ergo, patrium facinus in te non esse patratum? Et ut semel finiam, licet ipse te in regnis admittam meis: quo pacto ab eo qui tibi nuper uulnus inflixit, tibi cauere queas, nescio: quum is penes nos sit. cum sexcentis coniuratis.

SFOR. Quanquam iugulum, quod aiunt, petis, est tamen quo me tuear. Id quod paucis, si pateris, fiet. PLV. Fero. SFOR. Principiò, ut quod tu postremum, tanquam in id robur omne constituens, adduxisti, diluam. Egó ne illum uerear, uita uiribusq; cassum? qui uiuens, ac alieno ferox præsidio, scelesta spe frustratus fuit, & ob hoc minus noxius, quòd præcognitus est? Facilius enim illius iniuriam effugias, quem inimicum ducas, quàm abs quo beneficiũ speres. Quibus

bus rationibus persuasus, parricidæ ego istius inanem impetum, ausumq; sacrilegum, susq; deq; fero. Cæterum pro maioribus meis illud tantū obiecero, quod tute abunde firmum fatebere: quippe qui in eadem nobiscū es naui. Quo iure, quaque iniuria sunt partæ res, eadem quoque teneri ac defendi solent. Id quod nō atauos modò meos, uerumetiam quotquot in orbe toto adipiscuntur aliquid, possident ue, factitare palàm est. Sic principatus armis quæsitus (ut Pansa, Hirciusq; Cæsari rectè olim cōsuluere) armis tenendus est. De me quidem illud, teste infelici conscientia, affirmare possum: Si quid insolentius egi, me necessitate plusquam Diomedea compulsum id effecisse. Notum est quæ & quanta iam inde à puero in *hunc usq; diem perpessus sim, ut nihil in me fortuna reliquerit intentatum, eoq; miseriarum uentū, ut sæua iam non haberet quo me læderet, non inueniret quid eriperet, præter imbecille corpusculum. quod tandem necis usa manu (ô facinus egregium, & memorabile) prostrauit. Quid igitur mirum si eadem opera simul mihi cauebam, simul prospiciebam in futurum?* PLV. *Et eadem ipsa necessitas, de integro ad easdem te artes impelleret: neq; uero obscurum est illud, Cui plus licet quàm par est, plus uult quàm licet.* Mimus Pub!. *Præsertim*

tim ubi quis circa Lycei Iouis templum humanæ uiscera, cum aliarum uictimarum incisa uisceribus, degustarit. SFOR. *Fors immutata, morum quoq; immutationẽ afferre consueuit.* PL. *In deterius ferè: in melius nunquam. quemadmodum usuuenit ijs quos Acesias medicatus est.*

MER. *Quorsum nam isthæc? mihi quidẽ belle contendisse, multumq́; dixisse uidemini, sed nihil assequuti. Ego, si per uos licet, dicam quid sentio.* PLV. *Per me quidem quod tibi adlubescit, licet.* SFOR. *Et ipse pridem me tibi deuoui.* MER. *Nec tu Pluto, nec hic, sicuti cõijcio, iuris scientiam profitemini. Quare preciũ operæ nos facturos arbitror, si pariter omnes infernum petamus forũ, modò tu iter tuũ ad Cæsarẽ aliquantisper differre queas, ibiq; perorata coram iudicibus causa, uterq; iudicatis maneat.* PLV. *Ego satis commode iter meum aliquot dies protelauero, simul quòd Cæsar in deliberando de istius regno uacabit, simul ne iuris sententiam refugisse uidear.* SFOR. *Neque ab ea ipse discedere ualeo. Porrò pedibus in uestram sententiam eo.*

MER. *Agite dum, eamus: actutũ delabemur.*

SFOR. *Nunc illud uenit in mentem:*

Facilis descensus Auerni.

Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis.

*Sed reuocare gradũ, ſuperasq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.*

MER. Ex tripode, ut omnia, id quoq; cecinit uates. Sed cedo, ſunt'ne tibi numi traijciendo flumini? SFOR. Minime: nam adeò repente circiter mediam noctem me nec opinantem abegiſti, ut mei prorſus oblitus ſim. At nunquid immunes & liberi ſunt principes? MER. Nullum apud inferos perſonarũ diſcrimen: quemadmodũ apud ſuperos mortales. Cũctos enim uos exæquat Charon. SFOR. Me miſerum ergo, qui ne teruncium quidem mecum attulerim. PLV. Minimè dubites. Ego ſum Pluto, ſiue mauis Dis, diuitiarum Deus opt. max. caſco noſtro pro te faciã ſatis. SFOR. Hoc nomine me tibi plurimum debere ſcias. PLV. Iſthæc iam miſſa face. Næ id principes decet, quo mutuis concordiam alant officijs. SFOR. Quid'nam turbæ illud eſt, quæ inſtar nebulæ ante nos properat? MER. Animæ flumen traiecturæ. SFOR. Et illi, qui ad littus inambulant illac? MER. Qui apud Tuneta oppetiere: quorum cadauera adhuc inhumata iacent. Centumq; annos eo pacto errabundi ultro citroq; commeabunt, donec Gregoriana illa ſacra, meum haud dubie inuentum, pro ſingulis peragantur, quorum beneficio conſtitutũ tem

pus

pus præcidi potest. Sed tu, en nauim iam onustam: Charontem quasi limphatũ, flumina diuerberantem. CHAR. *Actutum actutum scelesti, ne teratur tempus.* PLV. *Lethargum patitur Charon, qui domini, haud meminit sui.* CHA. *Equidem Iouem meum pernosco: nudatosq́; humeros, & eburnea colla deorũ nuncij, rorulentos crines, alatum caput & pennatos Hermetis talos. Verum, qui inter eos incedit uaricosus, mihi haud agnoscitur. Quod nisi Thersites ille Aetholicus iam olim cum Græcis reliquis huc deuenisset, Thersitem ego istum esse dcierarem.* MER. *Aue Charon.* CHA. *Imò quàm plurimum iamdudum auri aueo. at equidẽ malim habere quàm auere.* MER. *Salue inquam.* CHA. *Affatim salueo, si mihi lucri Deus dexter adsit Mercurius.* MER. *Dextimus. Charon prouide. Cymbã ergo propius appelle.* CHA. *Conscendite tandem: at tu resiste quisquis es, dum mi naulũ persolueris.* PLVT. *Cape Charon. Stipem ego hancce tibi pro eo impendo.* CHA. *Fieri potest, ut Mediolanensis princeps sine naulo ad me descenderit suo? Atqui non solet tamẽ ea gens ferè aliquem huc mittere, qui manu numum non gerat suum. Ecquid ex illis forsitan iste fuerit, queis*

P argen-

argentum contrectare religio est? ME. *Hæc in parte religio nulla. nam: si qui nolebat pecuniam dare, sa. is tyrannice cogebat. Verum cõmuni tyrannorum fato ab amicis id parum curatum fuit.* SFOR. *Haeheu, uahe.* CHA. *Vt lubet, dum meo lucello decedat nihil. Sed hem cõspicare Mercuri, ut tuus iste propè mihi nauim submergit. Crediderim equidem pondus aliquod maximum trabea sua integere.* M. *Haud credo, ni forsan in corpore id habet.* SF. *Atqui corpus ego ipsum modo superius deserui: cumq; eo omne quicquid intus continebatur.* M. *Tibi aliud corpus est rationis mentisq; quasi uehiculũ, sine quo sensu omni careres, tenue tamen et proportione quadam cũ animo cõparatũ. cui sentẽtiæ suffragatur philosophorũ deus Plato, & hunc imitatus Vergilius uester in diuino opere, etiã hoc de portitore loquens:*
Et ferruginea subuectat corpora cymba.
& mox, Defunctaq; corpora uita.
SFOR. *Quid uero oneris esse potest in tali corpore?* M. *Corpori nõ ita dißimile: nec tractab:le uidelicet usitatis sensib. nec aspectabile, qualia uitia sunt, atq; peccata.* C. *Mihi istic neq; feritur neq; metitur. Cum Rhadamantho paulopòst disputabis, iam faceßite hinc. nã aduentare ingentẽ turbã sentio: partim milites ui dentur,*

dentur, partim monachorũ farrago. accurro, & perquàm lubens. Quippe horũ nullus unquam occurrit non grauis ære, & cui nõ quidpiam edulij in manib. adsit. potoriũ certe perpetuus eorum est comes. SFOR. *At at, Mercuri, qualem cerno belluam? hem iamiã me uoratura, tria deducit ora uastißima. Papæ allatrat horrendum.* M. *Baubari finas, suo more facit. Cerberus enim est, huius regni custos uigilantissimus, mecũ neutiquã expauescas. Nam simulatq; uirgã hanc aspexerit, quãuis oue mitior fiet.* SF. *Mira sanè de uirga istac ferunt poëtæ: ac præsertim Vergilius noster, qui de te Mercuri (ut opinor) loquens, sic cecinit:*

Tum uirgam capit, hac animas ille euocat orco
Pallenteis, alias sub tristia tartara mittit: (gnat.
Dat somnos, adimitq;, & lumina morte resi-
Illa fretus agit uentos, & turbida tranat
Nubila. M. *Ista ex Homero nostro, ut omnia ferè, sumpsit Maro uester, cui tanquã uirgula diuina, & uersus & inuenta à nostris poëtis suppeditata fuerunt.* S. *Sed unde illi tãta potentia?* M. *Vnde tibi regnãdi facultas aderat, cum modò tuis imperitares?* SF. *Nescio, nisi ita consueuere, qui uel natura ad imperandum facti sunt, uel quibus imperatoria maiestas indulsit.* M. *Næ tu rerum uerarum imperitus es. num*

aliquando audiuisti ex mysticis literis recitari, Per me reges regnãt: & , Non est potestas nisi à Deo: & , Quæ sunt potestates, à Deo ordi. tæ sunt. neq; id de bonis tantum, sed de improbis etiam dictum est. nam alibi dictum: qui regnare facit impiũ, propter peccata populi. SFOR. *Audiui persæpe, sed subterfugerat.* MER. *Et uirgam Mosi Israëlitici ducis nunquid meministi?* SFOR. *Sanè.* MER. *Vnde illi uis tanta?* SFOR. *A' Deo, opinor.* MER. *Et uirgam fuisse credis?* SFOR. *Quid ni? an non uirga erat?* MER. *Num & uirgam censes, de qua in* Regijs odis *fertur?* Reges eos *uirga ferrea?* SFOR. *De hac ambigo.* MER. *Virga est uirtute, non materia.* SFOR. *Ergo & Mosi, & tua, non materia constat?* MER. *Constat. Sed caduceũ hunc propius contemplare, quid uides?* SFOR. *Candorem quendam igneum, atq; perlucidum. quid sibi uult?* MER. *Ita principis potestas & oratio sit oportet, quam & iustitiæ candor, & sapientiæ ardor, & eloquentiæ fulgor commendet. Hæc bellantes dirimit, feras mitigat, Deũ cõciliat. Hac fretus* Moses *miracula prodigiaq; uaria in* Aegypto *edidit, mare disiecuit ac commisit, aquam de petra eduxit. Hac fre-*

Geneseos 5. & deinceps.

tus

tus Orpheus, syluas traxit, feras cōpescuit, dæmones flexit. Hac Deus mūdum gubernat. Hac Christus Iudæos percußit. Hac Paulus ille, qui Mercurius quoq; ob id appellatus est, cum cæteris Apostolis totum ferè orbem ad unā pertraxit ueram religionem. Hac quoq; hodie qui Euangelium paßim instaurant freti, & fecerunt & faciunt, quæ omnium seculorū memoria admirabitur. Sed uiden' laruatos illos? SF. Quid ni? Dominicanos appellamus. Sed quid uulpiū caudas connectunt? MER. Hi sunt qui piscatoris successoribus conficiebant retia, è uulpium uero caudis dum subinde catillant uu'pinanturq;) experti sunt non modo plures, sed et maiores capi pisces. SF. Nouū ædepol retis genus. præterea uidetur & is qui manib. et pedibus ripæ obluctatur, eiusdē cum illis habitus esse. ME. Prorsus & magister sacri palatij, sub Leone Medice fuit, Sylueſter Prierias appellatus. SF. Quid nā trahit? M. Vulpinū rete, squāmoso pecu refertū, Leonis X. cœnæ destinatū. SFOR. Dubiè mediusfidius lauteq; cœnabit Leo. ME. Imò oppiparè, imò polluci biliter, imò pontificaliter. SFOR. O Mercuri, quæ facies, quæ spectacula sese oculis offerunt meis? MER. Haud mirum istuc est. Nam Ioan. 8. & 10. Actor. 14.

Verg.in 6 *Vmbrarum hic locus est, somni, noctisq; sopora.*

SF. Pro Iuppiter? nũ Clemens septimus põtifex maximus ille, qui propter flagitium illud illachrymat? MER. Diu cum eo multumq; uersatus es, qui tam cito eum agnoueris. SFO. Maximè, & eius sanctitatis non semel beatos sum osculatus pedes. Idcirco libenter eum adorabundus, ut decet, adirem: sed uereor ut ne feræ illæ, quæ illum circunstant, in me impetum faciant. ô curas: ô uanas hominum spes: ô terrena felicitas, quàm breuis, quàmq; fallax es?

Ouid.3. Met. *Scilicet ultima semper*
Expectanda dies homini est, diciq; beatus
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

Hic nuper in sericata & inaurata sella sedebat: nunc uetus lupa defesso subsellium præstat. Hic regibus adorabatur: nunc uulpes famelica, hircusq; olidus proni eius salitos pedes adlambunt. Hic militum stipatus manu, quoquò uersum incedebat, auleis Attalicis excipiebatur, nunc sæuis leonib. comitatus, omne genus serpentũ instratũ solo, nudis premit plantis. hic mitra (quam ob eminentissimam dignitatem regnum uocant) gemmis auroq; decora, tripliciq; fastigiata corona attonsum caput onerabat: nunc lethifer basiliscus super illud acquiescit. Et qui totus Sarrano coruscabat

scabat ostro, modo sempiterna glacie, igniq́; sulphurco contegitur. & ex rubris digitis alternæ decidunt glaciatæ atq; flammatæ guttulæ: nimis eheu miserabilis, dispar q́; permutatio. MER. *Sic accipiuntur, qui diuinos sibi honores exhiberi uoluerunt, sacrilegij genus, quod nulla maria unquam expiare queunt.* Et quoniam liberæ *patriæ dominum imposuit, hoc est parentis suæ laqueum collo adnexuit, hæc ipsa omnia, & alia quæ non uides duplicata capit. Sed tu cohibe lachrymas. nam hæ, & si feruentißimæ, his in locis nequicquam prosunt. Quin pergimus. Quo quis magis sapit, eo minus temporis iactura læta tur. Cliuus iste breuiusculus, ad iudicum tribunal rectà perducit.* SF. *Rerum nouitas, Mercuri facunde, me in tantam sui admirationem rapit, ut non secus ac naues ab echeneide me remoratū sentiam. Quamobrem dic. amabò, ab itinere tamen nūquam cessando, quid nam molitur is qui montem illum aßiduis ictibus labefactare conatur?* Alludit ad sidus Mercurii nullis non influēs sideribus.

MER. *Tibi morem geram: quandoquidē mea semper interesse putaui, nulli usquam, qui id exposcat, officium denegare meum. Ille Italiæ regulus fuit tibi affinis. mons totus ferreus est. Tandiu ergo ei perstandum, quamdiu montem frustillatim funditusq́; comminuerit: comminutum, igne,*

 malleo,

malleo, lima, rursus composuerit quàm fabre; atque ex eo ciuitatem suismet manibus fabrefecerit Pontificibus, Cardinalib. ac eius farinæ reliquis.

SF. *Ingens cum primis opus: longeq; difficilius factu, quàm* Diui Petri *moles illa* Romana *sit.*

MER. *Et nihilominus hoc perficietur aliquando. Illud uero quando? Quod si illi semel supremum fastigium imponeretur, non iam pro* Petri *fabrica pecunia rogitari posset. quæ tamen nõ ad ædis structuram insumitur, uerum opimando aqualiculo, ditandis cognatis, pascendis equis, canibus, militibus, lenonib. cinædis, scortis, aquariolis, & id genus fecibus, cum quis & nepotantur, & lupantur affatim. Id quod* Mediolanum *in extruendo illud suum marmoreum templum, domum uulgò appellatum, imitari gaudet.* SF. *Haud eo inficias. Sed quid sibi uolunt fornaces illi, cum subterraneis canalibus?* MER. *Liquandis metallis ea præparata sunt.* SF. *Forsan quo id machinæ genus educat, quas nos bombardas nuncupamus.* MER. *Ita prorsus. Et ferreos globos ad urbis munimen.* SF. *Firma sanè, ac inexpugnabilis fuerit. Cæterum illi qui in prato sunt, ubi se uia findit in ambas, iudices, ni fallor, sunt.*

MER. *Illi, quos in sellis ex hebeno obscura ferrugine indutos cernis.* SF. *Quid ita? quatuor*

tuor sedent, & tres tamũ esse audiui? MER. Quatuor tamen numerat ipse Academicæ sectæ conditor, totidemq; huius æmulus Cicero, quorũ Rhadamãthus eos qui ex Asia, Triptolemus, qui ex Africa: Aeacus, qui ex Europa ueniunt, examinat. SF. At Minoëm ipsum quo in numero locas? MER. Non loco: qui omni eum tum numero, tum ordine eximo. Nã ab Ioue, utpote patre suo, hocce priuilegio donatus est: ut, si quid ambiguum foret cæteris, ipse cognosceret. Sed ellos? Iam oculos intendunt in nos. Ego negocium ijs quàm breuißime memorabo: uos, si lubet, auscultabitis. PL. Perplacet. SF. Mihi uero etiam ut adsis oro. MER. Quem nobiscum hic, coramq; conspicitis, sanctißimi iudices is est Franciscus Sfortia, Mediolani dux modò dictus. Qui, quod ingenio accerrimo atq; experientia multa uisus esset, ad Iuppitrem Vediũ mihi ducebatur, quatenus ab eodem regnis inferis præficeretur. Verum enimuero is obuiam nobis factus, req; audita, assentiri noluit, motus, ut idem aiebat, quodam rumore de isthoc uiro, per infernas oras longè lateq; diffuso: uidelicet umbras hunc non modo in dominum, sed ne parem quidem audire uelle, propter nescio quas exactiones, quas apud suos exercebat. Hic dux multa opponebat. Ita ta-

Plato in apologia Socratis
Cic. Tusc. 1

men qui magis fictum eleuaret, quàm inficiaretur. Quam ego cõtrouersiam quum audiuissem, de hac re ad uos referendum censui. Ideoq; expectamus ut expensa de more causa à uobis, pro uestra sapientia & fide statuatis. AEAC. *Neq; recens, neque incomperta causa isthæc apud nos est, Mercuri. Quinimò iamdudum isthuc præuidentes, ne inopinatum penitus accideret, ultro citroq; eam quasi aurificis statera examinauimus. Quamobrem ego uestro permissu, collegæ mei sapientissimi citra omnem moram sententiam profero. Nos Minos, Rhadamanthus, Triptolemus, Aeacus. Tartarei regni iudices selecti, perspecta Francisci Sfortiæ coram nobis constituti cõditione, prudentia, animi magnitudine, et quod prim ipsum inprimis exornare potest, multarum usu rerum ac memoria, dignum quouis principatu, quantumlibet amplissimo, per Iouem existimauimus. Rursum animaduersis conspirationibus, & tumultib. quæ inde oriri possent, si uel princeps, uel priuatus inter umbras assumeretur, cum publicæ quieti, tum maxumi Ditis honori consulentes, decernimus, ac postremò iudicamus, ut Franciscus Sfortia huiusce nominis secundus, in suos posthac dominetur in loco per regem aßignando, qui octauus inferni circulus nun cupabitur.*

cupabitur. Exin ut rex edicto mādari iubeat uniuersis Insubrib. qui in hæc loca deuenere, ex quo dux iste regionē ipsam postliminio, ingēti quamuis ære, recepit (id quod ab hinc septennium factū est) ut intra dies treis uniuersi pariter cōueniant in campū maiorē urbis Ditis, ad comitandū ducē suum eò loci, quò rex ipse Pluto præfixerit, unà cum illo ibidem moraturi in sempiternū. MER. *Ex sententiáne utriusque iudicatum fiet, nescio. Certè ad boni æqui rationem, non dubium est.*

PLV. *Planè.* SF. *Prorsus. Atq; ob id sigillatim omnibus habeo gratias. Ego intra paucos dies capita recenseri iubebo, censumq; contrahi. Mox efficiam, ut sentiatis principis nequaquam ingrati munificentiam.* PLVTO. *Scilicet istuc illud est, quod paulo antè dicebat. Conditionis mutationem alios mores, aliam uitam adferre.* MER. *Tolle periculum: iam uaga prosiliet frenis natura remotis.* AEAC. *Regna nō uencūt apud inferos, sed de uenditorib. suppliciū sumitur.* PL. *Abi præco, Longobardis præcipe ex sententiæ forma, iisdēq; uentos, pluuias, et pondera minator, ni pareāt.* STENTOR. *Fiet statim.* PLV. *At tu tribune, ubi isti cōuenerint, educes in eam solitudinem præruptis montibus inaccessam, syluis nemoribusq; densissimis opacam,*

opacam, apris ac centauris immanibus feracem, ultra septimum circulum, non procul à Gerione, ubi [a] *Lethe,* [b] *Phlegeton,* [c] *Acheron,* [d] *Cocytus, &* [e] *Stygia palus, pererrata regionis amplitudine latitudine, in profundissimum lacum coeunt.* Et *inibi suo more sibi ipsi ciuitatem condant.*

a. obliuio boni.
b. ardor in malo.
c. lætitiæ priuatio.
d luctus.
e. & sempiternum odium.

NOR. *Præsto sum.* MER. *Me uero sursum euolare oportet, quo lumina morte resignem duobus, qui mihi non minus negotij facessunt, quàm dux fecerit. Quos ego: sed ô Pluto dū promulgatur edictum, dumq́; isti conueniunt, ducem tibi curæ esse peruelim. At te ô dux, æquo animo esse iubeo. Nam propediem adducam tibi nouum ducem, atq; antiquæ libertatis, suæq; patriæ euersorem, qui cum de tuo nouo regno tuto commentari liceat.* SF. *Bearis me bone Mercuri, siquidem beatus quispiam esse potest apud inferos.*

FINIS.

COROEBVS.

SAPIDI ET COROEBI.

Sapidus.



VNDE nobis usq; adeò mane Corœbe mellitißime, ades? CO ROE. E proximo diuerſorio: ne me fortè credas longum tam manè iter confeciſſe. SA. Triſtis ualde mihi uidere. Quin & uox ipſa ſubrara mentis perturbationem arguit. quid habes? CO. Nihil. SA. Certe aliquid te male habet. mane, & iſthuc quicquid eſt, fac me ut ſciam. CO. Non poſſum. SA. An fortaſſitan alea, uel ſcortum, communes iuuenum peſtes, te argento emunxerūt? CO. Neq; alea, neq; ſcortum, ô Sapide. ſed cacodæmon mihi comes fuit. Sine me ut abeam. SA. Non ſinam, niſi id prius reſciuero. CO. Quid tum poſtea? SA. Ne retice, ne uerere, crede inquā mihi. aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuero. CO. Dicam, atq; adeò id magis ut tibi obſecundem, quàm quòd ſperem hac in re te mihi poſſe

posse auxiliarier. SAP. *Qui scis? Longe etenim melius duo quàm unus quoduis onus perferre queunt.* CO. *Verum id est eiusmodi, ut ei qui extra periculum sit, risum potius, quàm miserationem mouere poßit. Ea igitur res est, quamobrem minus resciri uelim.* SA. *Primum mi Corœbe, ego id ea lege accipio, ut per me istbuc rescifcat nemo. De dolore uero quid attinet dicere, quem amicitia mihi iam tecũ communem paremq; fecit? tantum abest ut risum admittam:* CO. *Scis, opinor, patruũ meum sacerdotium habere in Diui* Ioannis *templo?* S. *Scio: & quidem satis opimum.* CO. *Is mihi istud renunciat, hoc pacto, ut mihi ipse diploma à* Pontifice *redimam: nec mora, bonã patrimonij partem diuendo, talentum ferè unum cogo, tãtundem enim ferè est annuus sacerdotij prouentus, quem sibi numerari postulat* Papa. *Hac ego pecunia diuersis uestimentorum loculis insuta, ab hinc triduo* Romam *uersus iter ingredior. aderat unà mecum* Ioannes Nouellus. S. *Fortaßis & ipse sacerdotium aliquod empturus.* CO. *Ita aiebat. Imus. Primo die* Mediolanum *læti peruenimus. Incredibile enim nos eius urbis uidendæ tenebat desiderium.* SA. *Vtpote à uobis nunquã antea uisæ.* CO. *Nunquam*

quã Sapide. Diuertimus. Caupo rogat, quó nã tendimus. Romã (inquã) peregrinationis ergô: hanc causam itineris prætexebamus. sed crastinum tecum moraturi sumus, huiusce præclaræ urbis contẽplandæ gratia. Bonis auibus, inquit, & hanc ex ultimis terrarũ finib. inuisunt non parũ multi. S. Neq; enim mentitus est. nam & Hispanis, & Gallis, et Germanis passim prædæ est, urbs alioqui opulentissima nob lissimaq;. C. Vera prædicas: at id nos tum secus interpretabamur. Postridie urbem lustramus, atq; ea dicere cœpimus, quæ ölim de Roma poëta dicebat: Verũ hæc tantũ alias inter caput extulit urbes, Quantum lenta solent inter uiburna cupressi. S. Nãneq; nihil dixistis. C. Tantũq; ultro citroq; deambulauimus, ut fuerit conducẽdus nobis qui ad cauponã reduceret. Prãdemus, hospiti soluimus, discedimus. S. Hilares scilicet? C. Si unquã ãntea. Iã Mediolano ad duo miliaria recesseramus, quando uir quidam superueniens nobis prius (ut mos est) salutatis, percontari incœpit quó nam iter haberemus. Melignanum usq;, diximus. an'ne ulterius, ait? nam mihi iucundum cumprimis esset, si unà forte quó ipse uado, ueniretis & ipsi. Quó tu (inquam) bone uir? Tum ille, Parmam, inquit. Sum etenim

nim Parmensis, Genua profectus, ubi annos quinq; cũ opulentißimo mercatore mansi. Verum quia ciuitas illa modò populata atq; direpta (ut scitis) est à milite Hispano, idcirco domũ repeto. Cui ego: nos quoq;, ut sis sciens, illuc tendimus, & Romã petere in animo est. Hic ille uultu exporrecto, hoc (ait) nomine mihi chariores estis, simul ergo bonam itineris partem conficiemus. Ac paulisper immoratus, tanquam aliquid cogitaret, subiecit: sed quid uos celem, quod apertum & mihi & uobis, comites, magno esse potest usui? Iam enim comites sumus, quæ est necessitudo quædam: nam & sæpè reperti sunt qui unico, illoq; perexiguo itinere, nunquam intermorituram contraxerint amicitiam: quam si quispiã unquam uel exoptauit, uel persanctè coluit, me unũ, tametsi infra mediocritatem hominum positus sim, iure illorum esse dixerim. Quod si ita uobis mecum erit uiri optimi, nihil mehercle est quod uerear uestro in sinu rationem meam effundere. Ita profectò erit. efficiemus enim ut neq; fidem, neq; taciturnitatem in nobis aliquando desiderare possis. nos sic. Is autem: & quidem boni uiri uidemini, ait, neq; secus mihi persuadere queo. S A. *Hactenus nihil mali audio.* C O. *Audies. Scitote*

tote, inquit, me cum illo, quem modò dicebam, mercatore hactenus commoratum esse. qui ubi sensit Hispanos oppugnatum urbem aduentare, clàm me accitum in interiora atq; inferiora domus, remotis arbitris, perduxit: ibiq; ingentem auri uim defodi iussit. Simulq; uide, inquit, Hilari, sic enim uocor, si capior, quod deus auertat, scis unde me queas redimere: sin morior, nam hi fermè sunt bellorum exitus, tu gnatis meis, dum adoleuerint, mercaturam fideliter exerceto. Sin ambos sors una sorte oppresserit, Pluto potius illos, quàm hostis habeat. Deinde cum uideret urbem in periculo esse capiendi, naui conscensa latitatum traiecit aliquò. Capitur urbs, diripitur, itur in uiscera terræ, ut inde eruantur damnatæ opes. Sic ego cogito: Hæc pecunia inuenietur. præstat meam quamprimum portionem surripere. accedo. et ad quingentos nummos aureos effodio, quos iamiam cernere atq; attrectare licebit, comites. Verum id nequaquam uos latere uolo in his meum esse quinquennium stipendium, centenis & quinquagenis ferè aureis numis constans. Ea propter in dubio est animus: an quod in hostium manus uenturum fuerat, censeatur in furtum. Quo igitur hoc me scrupulo liberem, Romam proficisci apud me constitui: nec non ut cæ

dis perpetratæ (quot enim me illic trucidasse putatis?) absolutionem accipiam. qua in re me plurimum uos iuuare poteritis: nam palàm ingredi per urbem, mihi haud satis tutũ fore arbitror, donec rem effectam habuero. Quibus dictis grauẽ zonam è tela profert, quam super nudum corpus se gestare uideri uolebat: mox extremo balthei, quod insutum erat, aperto, aliquot ostentat aureos: quo nobis hac coniectura talium esse refertum baltheum persuaderet. SAP. *An non erat?* COR. *Quantum attrectatione conijcere licebat, ita uidebatur.* SAP. *Quàm aueo, quorsum isthæc machinatio eat, peruidere.* COR. *Ausculta. Tum ille dolis instructus, & arte Pelasga: hos, ait, communes uobis mecum esse uolo, amici integerrimi. Proinde si uos eodem animo mecum estis, proferte quicquid penes uos nummorum est: unumq́; duntaxat nobis marsupium esto. Simulq́; pyxidem ipse producit, haud sanè dißimilem his quibus preciosiores cyathi asseruantur. Et subdit: si lubet huc inferte, ipsiq́; pyxidem (ne quid me tuatis) deferetis: ego clauem, ut neq; uos sine me, neq; ego sine uobis uti pecunia poßim. Et statim infert numatũ baltheum. Tunc ipsi nec quicquã iam metuentes, nostram pecuniam intulimus. Ex*

templò

templò Sinon ille clauicula obſerat arculam. Dũ uero manibus adhuc eam teneret, uidete, dicit, fratres ne quid aut prudentes, aut imprudentes, reſi dui in loculis relinquatis. Hoc enim eſſet amicum fallere. Vterq; igitur noſtrûm, à quibus omnis fallendi uoluntas aberat, diſpicimus, inuertimus loculos. Interim ille alteram priori adſimilem arculam, occultata priore, porrigit, dicens: accipite, iam uos eos eſſe uiros comperio, quos hãctẽ nus in animum induxi meum. accipimus. SA. *Num nam quomodo capſulas permutaret, cognouiſtis?* COR. *Minimè ut qui loculis probe exhauriendis toti eſſemus. Sed accipe quo nam modo à nobis id ſerò deprehenſum ſiet. Inter eundum ueterator ille ſic incipit: Reputate comites, quàm ſimpliciter, quàmq; fidenter uobiſcum egerim, qui neq; cuiates ſitis quæſierim, neque de nomine popoſcerim. Tum nos ei patriam, genus, & nomina ſignificauimus. Sub hæc, nondum, ait, ut audio, tantum itineris, atque ipſe, confeciſtis. Ligurini lapides duriter pedes acceperunt meos. Laſſus de itinere, imò defeſſus ſum. Quod quidem priuſquam me huic paruæ quieti uobiſcum darem, utpote incaleſcens adhuc, haud ita ſentiebã. Et hic Sapide mi, greſſum hiſtrio ille uerbis mire accommodabat.*

SAP. Credo. nam quam quisq; nouit artem, hanc ſcite exercet. COR. Videtur. Ad hæc rogo uos, inquit, fratres præite, & cœnam lautam inquam, ac etiam ſi lubet ſaliarem, apparari cura te, potateq; largiter, donec appello. Lento enim hodie mihi gradu incedendum eſt. pedibus à cœna medebor, ita ut cras æquis paßibus uobiſcum ambulare ualeam. Cui nos haud grauatè aſſentientes properauimus, nobiſcum pecuniam omnem proculdubio eſſe credentes. hoſpitium ingredimur, quod iuſſerat ultrò exequimur, præſtolamur, de uia proſpicimus, nuſquam liberalis ille comes apparet. nos illum pedum dolore reſediſſe rati, de obuiam illi eundo cogitamus. meritoriũ conducimus equum, uadimus: ſed fruſtra, quippe nunquam poſtea uiſus. SAP. An non arculam quouis modo reſeraſtis? COR. Reſerauimus, quom numerandum eſſet hoſpiti. SAP. Fortaſſis pro theſauro, ut in prouerbio eſt, carbones reperiſtis. COR. Imò lapidibus & ſtuppa repletam offendimus, optime Sapide. SAP. Quid ais? hem, Sinonias mihi uere depinxiſti artes. COR. O Sapide, ne me credas fucos omnes, quibus perfidus ille huic uni fallaciæ adumbrandæ uſus eſt, fuiſſe complexum. nam uix ſum apud me. SAP. Abunde hoc genus hominum

mihi exploratum est. Sed hospiti, qui pro pont i ficia cœna numeratum est? COR. *Anulum reliquimus pignori.* SAP. *Doleo ego nu Corœbe, ita me dij ament, uicem tuam. quem enim his techins non fallerent, cui non imponerent? Ego ne Vlyssem quidem ipsum euasurum putem. Sed cur Ioannes tecum non est?* COR. *Ioannes totus excandescens abijt de Plano isto exploraturus, aliud, credo, iter tenens: nec quicquã locutus, nisi, uel tu me, uel ego te Corœbe Mediolani operibor.* SAP. *Audi. Si meis consilijs auscultare uolueris, te Mediolanum actutum conferes, quæstorem maleficiorũ adibis, rem omnem à principio illi aperies, rogabis ut lictores aliquot tecum esse iubeat, tu denuò unà cum his bonam Mediolani partem lustrabis diligenter, hodie, atq; item cras, & amplius quàm perendie si erit opus: sycophantæ istius faciem, habitum, & uocem tecum ad amussim quàm fieri potest recoles, quo statim, ubi cum hac seu illac, uel stantem uel transeuntem deprehenderis, rapi iubeas. Sed præcipue uestibus te immutatum uelim, ac Cretizare, quòd aiunt, contra Cretensem: nam & ipse alijs in urbe utetur. Neq; enim tam bene te is qui fucos fecit, agnoscet, ac tu qui passus es.* COR. *Tun' hunc Mediolanensem esse censes?* SAP.

Id quidem deierare non ausim. Sed enim qui hoc inceptauit, necesse est uos prius spaciantes, ementes, loquentes, ac etiam accumbentes obseruarit, explorarit'q;: nec fortaßis istius imposturæ immunis fuerit hospes tuus. Verum cautio adhibenda est. Sæpe enim uulnus, ut de Achillis hasta legitur, idem qui facit sanat. hoc meum est consilium. Si qua præterea in re tibi commodus esse uideor, utere. COR. *Iam me non pœnitet mearum te miseriarum fecisse conscium, siquidem mihi nunquam isthuc uenisset in mentem. Nunc quantum homini homo præstet, uidere licet. Itaq; magis obnoxium me tibi effecisti, quàm ut uerbis tibi queam agere gratias. Quod si pudor sineret, duos abs te aureos numos ad paucos rogarem dies: ut confici ea quæ bene consuluisti, possent.* SAP. *Ah Corœbe, itan' de amico diffidis? Hic sunt. Visne plures?* COR. *Minimè. ne huic malo (si fortè euentus fallat) etiam aliud. Iam uale.* SA. *I bonis auibus, dextroq; Mercurio.*

FINIS.

CREVSA.

CREVSAE ET IVNONIS.

CREVSA.



ICCINE *mecum à marito agitur? Siccine reginam fœminam cædere? uel uos ô Danaï ferte opem.* IVNO. *Hem muliebrem ego uocem audio à læua, uiso quæ'nam sit. O Creusa, quis te?* CRE. *O dea cui meritos semper honores exhibui, itan' me impio parricidæ copulasti?* IVN. *Quid mea Creusa istuc?* CRE. *Sæuus ille unico me hic confodit, confecitq; uulnere.* IVN. *Vah, quid ais?* CRE. *Vides'ne purpuream profluentem animam?* IVN. *Iam diuino cur ita hominum immanissimus ceciderit te, ne tu scilicet illi impedimento fores, sicubi fortè regnandi caussa ducenda sit uxor. Sed bono sis animo, inultum scelus isthoc nunquam auferet. Cœlum ego ipsum atque elementa omnia in hunc concitabo, efficiamq;, ut medijs in fluctibus se plusquam miserrimum uociferetur, qui non Græcorum manibus, Troiæ sub mœnibus altis conciderit, totq; monstra, tot bella horrida: Verū æthera nunc potius*

 conscendamus.

conscendamus. quando connubiorum pertæsa, ne si quidem possis, coniugium iterare uelis. CR. *Vnius me chari miseret Iuli, ac sine eo usquam esse distædet. alioqui uel semel rem perniciosam attentasse, nimium superq; fuerat. Cæterum unum oro dea, priusquam abeo, liceat quod in me terrenũ erat, humi condere.* IVN. *Quorsum nam istuc? an uereris ut umbra oberrans circũuagetur?* CRE. *Haud enim, uerum ne meo reperto atq; cognito cadauere infametur Aeneas.* IVN. *Adhuc'ne parricidæ isti tuo bene cupis?* CRE. *Quanquam difficile est amorem semel admissum depellere: tamen gnati dulcissimi gratia (si modo superstit diu) potissimum id cupio.* IVN. *Ascanio sua manent immota fata. At uero Aeneas, futurum cano,*

Vt bello audacis populi uexatus, & armis
Finibus extorris, complexu auulsus Iuli
Auxilium imploret, uideatq; indigna suorum
Funera, nec cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaq; inhumatus arena.

CRE. *Verum de funere sepeliundo?* IVN. *Me sequere. ministris efferri mandabo, ac alto immergi, obruiq; puteo, ne unquam inueniri ab aliquo possit. Idque in tuam solius gratiam me facturam*

ēturam credas. Tametsi non sum nescia, quosdam olim me incusaturum, passimq; seuam uocaturum, quod de insigni pietate uiro diuersa sum pserim supplicia: suppliciorum uidelicet atq; irarum iustas caussas ignorantes. CRE. *A me ue ro tibi gratiæ habentur immortales, etiam si tan tis totq; tuis in me meritis impar es uirgo, per quam mi deorum regia patescit.* IVN. *Tu hic inter amica Saturni genitoris sidera fulgebis, hostem maritum casibus obluctantem despiciens. Ego ad perfidi ultionem propero.*

FINIS.

AENEAS.

VENERIS ET IVNONIS.

VENVS.



VOVSQVE *tandem Aeneam meum soror, persequeris?* IVNO. *Donec deum sublimaro, fecerõq;.* VEN. *Tu uero deum?* IVN. *Ego inquam. alioqui cur heroës, semidei'ue, & dij deniq; ipsi? an frustra regina deûm, Iouisq; & soror & coniunx appellitor?* VEN. *At uide ne dum pergis deum facere, uirum perdnas.* IVN. *Vir fortis aduersis nequaquam frangitur. Sed nec iri potest perditum, quem dij seruatum uolunt.* VEN. *Isthæc haud diceres, si utero fouisses infantulum, si decem mensium tædia pertulisses. ferè fit, ut quæ proprios non habent natulos, in alienos sæuiant.* IVN. *Num tute illum uirguncula propter Simoentis fluenta enixa es? nec usquam ulla Lucina interfuit? neq; enim lucẽ hanc sine me hausisset puellulus. Sed ô Cytherea, tu nimium indulges filio. Nullus unquam magnus fuit indulgentia.* VEN. *Quî potest nimis amare parens?* IVN. *Ergo age quan*

do ita affecta es, ego regnum, tu sponsam Aeneæ paribus auspicijs conciliemus. VEN. *Regnum tu ubi?* IVN. *Carthagine bellicosissimum, idemq; opulentissimum.* VEN. *Rectè, nisi manes illic Sichæi Elisa percoleret.* IV. *Quasi non eam expugnare possit Cupido tuus.* VEN. *Vereor ut nobiscum uoluant pensa deæ.* IVN. *Hoc ego iam tibi exploratum reddam. Ipsa interim gnatum præmoneas, ut tela illi præsto sient optumè.*

VEN. *Faxo.*

FINIS.

EXEMPLVM PROCESSVS SIVE ACTIONIS ADuersus Pasquillum à Pontifice Paulo tertio in concilio Cardinalium institutæ.

Ex Italica in Germanicam, & ex Germanica rursus in Latinam à quodam pietatis studioso conuersum.

PASQVILLVS.



VO & aduersarij mei cognoscerentur, & innocentia mea omnibus innotesceret, Dominus Deus rerum omnium gubernator, rationibus quibusdam tantum effecit, eam quam mihi præstitit gratiam, ut mihi tandem actionis illius, quam Scribæ & Pharisæi Romanæ, parumq; religiosæ sedis, aduersus me instituerant, copia fieret. Quomodo igitur tanta res peracta sit, plena quasi manu ab origine ad finem usq; referam.

Lapsis nuper tẽporibus, cũ Paulus tertius Sanctißimi sibi nomen uendicans, auaritiæ impulsus stimulis, simulq; sollicitus laboraret, ne à Lutheranis regno suo prorsus exueretur, Cardinalium coëgit

coëgit cõsilium, in quo quum uarijs de rebus disſererent, decernerentq́; , nunquam tamen illis in mentem uenit animi ſui pertinacis, malum uiuendi exemplum uel mutare, uel emendare. Conſulta tio ſic habet. Quid agimus? Paſquillus ueritatem nimium in lucem producit: cui niſi pulchrè proſpiciamus, Lutherani nos prorſus peſſundabũt. Nónne uidemus ipſi paßim fidem haberi? Sine ulla igitur dilatione decretum eſt, ut magiſter te nebrarum, primarius ille hæreticæ prauitatis inquiſitor, pſeudoprædicatorũ ordinis monachus, euangelicæ ueritatis oſor acerrimus, uel ſi hic gra uioribus (ſcilicet) negotijs præpeditus eſſet, eius uices ſubiret alius aſinini coloris ueſte ornatus, lignipes, funiger, ad hoc munus ſubornatus, qui corruptis ſubdolis, & ad hoc negotium idoneis notarijs, accurata cum diligentia inquiſitionem fa cerent, & ex me ſciſcitarentur, confictis exinde mendacijs (qui eiuſmodi inquiſitionibus mos eſt) pro ſe interpretarentur: quo me ante congreßionem, adeoq́; indicta cauſa condemnare poſſent. Atq; ſic accidit, quamuis magno meo malo & tædio, quia non præbebant ſpeciem interrogantiũ, & errores emendantium, ſed (ut moris eorũ eſt) dilaniantium, & tantum non uiuum me deuoran tium. Itaq; demum cuſtodijs ſum traditus. Nuper

autem ut maleficus & latro, nulla immobilitatis meæ ratione habita, uinctus deductus ad tribunal uicarij Antichristi illius constitutus sum: qui cum omnibus, aut certe plerisq; assessorib. in maiestate sederet, ibi uinculis solutus & liberatus, non (credo) quòd tanta ipsorum fuerit misericordia, sed quia sperabant me pedes illius osculaturũ. At ego Christiana simplicitate astans, submisso ipsum animo salutabam, expectans quis'nam rerum finis esset futurus. Ecce sanctißimus pater ira excandescens ait: Aduertitis domini, quàm manifestè iam huius peruersitas apparet? Nulla cuiusquã maiestas tam ampla est principis, ne Cæsaris quidem, aut regis ullius, quin prouolutis genubus meos mihi pedes exosculetur. Famelicus uero iste non eo me honore dignatur. Tum ego, ut uerbis meis locus detur, ueniam expeto: qua mihi cõcessa, meam sic exorsus orationem sum his uerbis: Estis'ne uos Christiani? an unquam sacras scripturas legistis? legimus, inquiunt, interdũ à negotijs iustis uacantes. Recte: an'non inter cætera illud etiam legistis, quòd S. Petrus Cornelium baptisaturus, ipsum sibi genua flectere paßus non est, sed dixit illi Surge, nam & ipse homo sum. Neq; repe rietis uspiam, eiusmodi idololatrias in ecclesia unquam fuisse admissas. Si igitur hoc uerum est, si-

cui

cut nunquam uerum esse non potest, cur quæso Deum *meum hac ignominia afficiam, ut homines eo digner honore, qui illi soli debetur? omnis siquidem & honos et gloria huic soli conuenit.* Ad *hæc respondebatur:* An *ignoras pontificem esse uicarium* Christi, *ipsumq; in terris illius fungi officio?* Regero: Vos *hoc dicitis, sed nullum dum scripturæ testimonium legi, quod uel pontifici me, uel uicario cuiquam, uel ulli deniq; hominum aut obedire, aut seruire iubeat. hoc quidem scriptum inuenio, unum me habere* Deum, *cui ex tota anima, ex toto corde, totisq; uiribus seruiam. Cur ergo uultis, ut ex uno geminos conficiam, & duobus seruiam dijs? Hic uero tartareum quendam uideres furorem in cordibus & uultu* Satraparum *illorum æstuare, tanto tumultu, tantaq; uociferatione erumpentem, ut alter alterum audire non potuerit. Idq; ea potissimum ex causa, quòd eorũ quisq; detestandã pontificatus autoritatisq; pontificalis uenerationem saluam cupiebat, nõ quod tanta esset uel æmulatio, uel studium erga pontificem nostrum, qui tamen ex exemplo illius sacerdotis, de quo in historia euangelica legitur, sibi ipsi uestes discindere uoluit: dolebat mihi tam preciosæ purpuræ iactura.* Antitheus *autem non minori uociferatione quàm dimicatione clamabat,*

quid

quid uolumus amplius? blasphemauit. Quid opus habemus testimonijs? An non pontificiā ab ipso nihili fieri negariq; potentiam auditis? hæreticus est, ignem meretur. Ignis mentio cum fieret, horror me inuasit, uerebarq;, ne eo me supplicio & pœna afficerent, quam ipsi meriti fuissent. His curis cum animus conficeretur, uox paracleti ferebatur ad aures, dicens: Pasquille, ne timeas illum qui corpus potest è medio tollere, sed illum in cuius manu sita est anima tua. Hæc mihi uerba animum reddiderunt, his spiritum resumpsi. Surgit eximius cardinalis Chietinus, firmissima hypocriseos columna, dicens: Audi Pasquille. ad me delatum est, te purgatorium negare. Ad hanc quæstionem respondeo: Miror quur hoc uos ex me sciscitemini, quum id haud unquam negauerim: imò affirmauerim semper, me ea esse sententia, quod uita hominis Christiani uelut unus sit dies. & hoc ob casum, quo in paradiso transgreßionem summam dignitatis iacturam fecimus, & pro eo ac quisq; egerit & fecerit (quamuis optimus maximus Deus nobis quicquid per incogitantiam peccatum est, post ueram id pœnitentiam pro peccatis nō imputet) necesse sit, ut tantisper dum à perenni fœlicitate exulantes, fricationem, dolabra, limas, & purgationes pati & sustinere cogimur.

mihiq; persuadeo hunc ignem purgatorium multo acerbiorem esse, quo in terris hic affligimur, quàm factitiū uestrum illum, quem expectandū nobis esse, patiendumq; uita functis dicitis: qui ut mero hominum cōmento excogitatus est, ita clandestinis quibusdam, & subdolis tendiculis, longè lateq; inuolutus, quibus simplicē plebeculam intricatam & captiuam tenetis. Tendiculas uoco indulgentias uestras, missas, rosaria, diplomata, plumbum, ceras, & id genus alia mille diaboli inuenta: & in hoc toti incumbitis, ut Antichristi regnum amplietur, redditus augeantur, & tot uentres ociosi ad crapulam, uenerem, et ad omnem libidinem ac petulantiam, ueluti porci saginentur: qui præter ea quæ Christianæ professionis sunt, omnia quæ carnis prolubium suadet, & faciunt, & statuunt. Hæc ô si intelligeretis & sciretis (uel ut uerius dicam) intelligere & scire uelletis, quæ sacra scriptura, adeoq; uestra conscientia dictitat, non in me, ueritatemq; tantopere, tantoq; fremitu sæuiretis. Nam pleriq; uestrûm sunt, qui me ueritatem & loqui & profiteri optime sciūt, sed timent grauiter, ne detestandā tyaram unà cum mundano apparatu amittant. Sed quid Christus contra? Qui me abnegauerit coràm hominibus, hunc abnegabo coràm patre meo cœleste.

Tum pontifex ipse exurgens, magno cum fremitu dicebat, blasphemiarum pro initio iam satis esse: ut mißis scripturis ad interrogata responderem, imperabat. ecquid de spirituali pudicitia sentirẽ? Quid ad hæc, inquit, respondes? approbás ne sacerdotum coniugia? Quid illud mali, quæ huius erit fabulæ catastrophe? Quandoquidem inquam hoc à me tanto studio contenditis, ut quid sentiã liberè profitear, dicam. uerum uolo uos à me expectare (id quod apud uos est solenne) ut uestris uel oculis, uel auribus dem quicquam. Absit omnis adulatio, nullũ uobis palpum obtrusurus sum unquam, me uestigijs Domini Christi insistere decet: qui quãuis pauperis alicuius fabri filius habitus sit, non tamen cessauit scribas, pharisæos, & magnæ existimationis homines expellere tẽplo, & mensas eorum ipsis etiam inuitis subuertere. An non Paulus eum doctorem diaboli esse apostolum asseruit, qui hominibus matrimonio interdicit? nunquid Deus, cum humanum genus crearet, masculum & fœminam creauit illos? Vos autem naturæ ordinem subuertentes, uos nimirum quos masculino sexu induit, muliebria facitis, uel patimini potius. Proferte ex biblijs uel unicum dictum, quod uos cœlibes esse iubeat. Atqui duo castitatis genera sunt: unum eorum quibus conti-

nentiæ

nentiæ donum diuinitus est tributum, & hi cum anima & corde, tum corpore casti sunt: alterũ eorum qui se coactæ cuidam & necessariæ castitati obstrinxerunt, & uotis plusquam temerarijs addixerũt, inprimis monachi uestri, atq; moniales, & totum illud unctum genus. Ex quibus hi qui *sunt (qui pauci admodum sunt) qui foris hominibus commentes appareut, & coacti continentiã simulant, animum intus impurissimũ gerunt, neq; à castitate longius quicquam abest atq; illorum pectus, qui meritis oculos omni libidine uagos, in omnes partes circumferunt: & dum nihil minus quàm casti sunt, affectant tamen uideri omnium castissimi. ô stulta pectora, num arbitramini, quòd is qui cor, qui aures, qui oculos creauit, quem nihil fugit, qui omnia uidet, omnia audit, uos uestramq; peruersitatẽ ignorare, uestra scelera nec uidere nec audire? Quanto satius esset quenq; pro sua uocatione suæ relinqui libertati, quàm in tam impiam trudi sanctimoniam, & ad tam impuram pudicitiam adigi? non quòd hic uobis aliquid spei reliquum factum sit, qui in malitiei sentinam demersi estis. Atqui si ea uobis mens esset, si semel in animum induxissetis, sanctè & Christianè uiuere, resipisceretis, & pœnitudine pia de sanctiore cogitaretis uita. Sed tam pertinax uestra est ma-*

 litia,

litia, tam pœnitere nescia, ut iustißimus Deus pœnæ diutius moram facturus non sit, quin ijs consulat rebus, quibus uos consulere cunctamini. Certò scio, idq; sacra testantur uolumina, uiros olim sanctißimos, Abrahamum, Isaacum, Iacobum et, cum his plerosq; alios in ueteri testamento coniugatos uitam egisse omnes, & quàm castißimè cum coniugibus uixisse. Et in nouo testamēto Christus ait, Non omnes poße hæc intelligere, sed eos tantum quibus hoc datum sit diuinitus. Paulus etiam testatur, melius esse cōtrahere matrimonium quàm uri. Permittite liberum esse, quibus castitatis donum datum non est. Ex hoc intelligetis quid sit castum esse. Hæc castitas tantum uobis negotij facesset, quàm qui sunt occupatißimi. incumbet cura alendorum liberorum, nutriendæ cōiugis, quæ nequaquam segnes esse sinit. Deum immortalem quotaquæq; mulierum cœnobia sunt, uel, si mauultis, carceres, in quibus misellæ mulierculæ suspirijs & gemitibus ad libertatem anhelant, unicam libertatem in uotis habent, ut quæ iam carnis affectibus nequicquam resistentes, succumbāt miserè. Taceo quod contra naturam quoq; committunt: quæ omnia, nisi abominandis uestris tyrannicis constitutionibus prohiberentur, pulcherrimè cauerent, & honestati studerent maximè.

mè. Sed quia uestra crudelitas tanta est, plurimæ ad extremam uoti desperationē intabescunt. Vos, uos inquam estis, non istorum modò malorum, sed insuper crudelißimi afflictarum conscientiarum carnifices, & animarum occisores truculentißimi. fortior est carnis tyrannis, imbecillior animæ omni consolatione destitutæ uirtus, quàm ut huic resistere ualeat. Numfit uobis uerisimile, si diuinæ maiestati integrum fuisset uisum, ut eiusmodi mulieres sine fructu ætatem peragerent, fœcunditate ipsas donaturum fuisse? Non puto. aut putatis Deum creatorem ad creaturas dicturū fuisse, Crescite & multiplicamini: an unquam cuiquàm promissurum fuisse sobolis fœlicitatem, numerositati stellis cōferendam, aut cuiusquam pro li fuisse benedicturū? Minime. sic uisum est illius bonitati, & ob id matrimonium ut sanctum & diuinum opus, suæ uoluntatis certißimū argumentum, sine omni exceptione edixit atq; instituit. Ex celso & omnipotēti Deo cū tremore ac timore parendum, de eius præceptis mutandum nihil: at uestris impijs & nefarijs legibus & constitutionibus nullo modo. Circumstantes itaq; cum animaduerterent me tanta in loquendo uti parrhesia, tantaq; in ἀγήνορας ἀρχιερέας fiducia & libertate inuehi, stupore quodam correpti obmutue-

runt. partim quia impares se ad hoc certamen, nec satis idoneos esse agnoscebant, ut ueritati occurrerent: partim quia sola truculentia freti, solis nitērētur minis, amarulētas in me uibrabant linguas, dentibusq; frendentes rabiem in me euomebant. Ex his unus uultum in me conuertens, Ecquid ait, Tu'ne ex eorum es hæresi, qui negant opera humana ad consequendum paradisum sufficere? cum scriptura dicat: Si uis ingredi uitam æternam, custodi præcepta. & alibi: Exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Animaduertenti igitur mihi, in media leonū fouea, omni humano præsidio destituto, Dauidicum illud in mentem uenit: Nisi Dominus me custodiuisset, ab sorpsissent me uiuum. Hac itaq; spe fultus, solius Dei præsidio nitebar, qui ineffabili suo ergo nos amore, filium suum unigenitum in hunc mundum misit, ut culpam nostram præstaret, ut crucis supplicio sanguinisq; effusione ignes, quos meriti fueramus, extingueret, & nos per suam mortem ab æterna morte ereptos, primogenitus ex mortuis nos sibi fratres & cohæredes ad dignitatem filiorum Dei eueheret. Quæ cum apud animum repeterem, simulq; in mentem reuocarē, quantū illud esset, quod mihi acquisiuerit, & donauerit, magis atq; magis mihi animus confirmabatur.

Iamq;

Iamq; incipiebam ab ipso solo præsidium & auxilium expectare: huius inquam præsenti auxilio fretus, ad responsionem me componebam. Si inquam, spes nostra in solis operibus est sita, actum est de spe salutis nostræ. neque ulla creatura misera magis conditione à creatore Deo condita, nobis miseris homunculis in hoc mundo, uideri queat. Nemo siquidem mortalium est qui bonum seu faciat, seu fecerit unquam, ne unus quidem, præter unum hominem, qui est Dominus noster Iesus Christus. Quod si nos peccasse negauerimus, nobis ipsis imponemus, neq; in nobis ueritas, ut Ioãnes testatur, inueniretur. Quid, quòd Paulus ait, nos omnes esse filios iræ & interitus? Sacra enim scriptura dicit, summam hominum sanctitatem, summam coram Deo iniusticiã. Atq; rursus alibi legimus, coram Deo ne stellas quidem cœli, neq; unius diei infantem purum esse. Item alibi Prophetica testantur oracula, totam nostram sanctitatem, quanta quanta est, similem esse panno mulieris menstruatæ. Item, si nihil eorum omiserimus quæ nobis præcepta sunt, non tamen splendidiorem quàm inutilis serui titulum nos mereri. Verumenimuero, Quis tandem ille est, qui uel minimam eorum partem præstare poterit, quæ Deus præcepit, nedum omnia? Quæ in-

quàm sunt præclara ista nostra merita, quæ cœlestem nobis uitam, electorumq́; consortium mereri queant? Vbi nam gentium ille est, qui Deum ex tota anima, ex totis uiribus, totoq́;, ut lex iubet, pectore amet? Quotus quisq; nostrûm est, qui proximum eo complectatur amore, quo erga seipsum affectus est? Quis inquam mortalium est, qui ea proximo præstet officia, quæ ipse ab eo expectat? Nullum opinor mihi talem (quod cum dolore cõ queror) commonstrabitis, præter unum, qui ut perfectißimus fuit magister, ita doctrinam factis suis confirmauit. Concesserim uobis in lege scriptum esse, atq; hoc scriptum à Paulo repeti, Maledictum esse omnem illum hominem, qui non omnia hæc præstiterit quæ in libro legis scripta sunt. Sed quotus quisque hucusq; inuentus est, qui hoc præstiterit? An uos nescitis id hominibus esse impoßibile, id quod dilucide D. Augustinus testatur. Quid Paulus ille gentium doctor? non'ne dicit legem esse spiritualem, uos uero carnales? Ecquis igitur est, qui legẽ (ut iam iam diximus) præstet? Nemo. Actum fuerit de nostra salute, & deplorata spes omnis, si nostris fidere pergamus operib. Quid igitur facimus? solis nitamur Christi meritis, quæ tam sunt absoluta, ut nos non modò à morte liberos, imò etiam à mortis reatu immunes, & à cri-

à criminibus diaboli securos reddiderint. Is inquã Christus dux uitæ, cum à principe tenebrarum captiui, & morti æternæ addicti, teneremur, precioso suo sanguine in ligno sanctæ crucis redemit, & pro nobis persoluit, quo & peccatorũ nostrorum illuuijs emundati sumus. Hinc omnis *salutis nostræ origo. Hæc diuini consilij dispositio destinauit, ut filium suum dilectum, suæ æternæ naturæ alioqui per omnia æqualem, in hanc mortaliũ conditionem traderet, imbecillitate carnis & sanguinis uestiret, quo ille nobis consors inter nos uersari, pati, mori, & denuò resurgere posset: idq; omne, ut uices nostras sustinens ca perficeret, quæ nobis nostrisq; alioqui uiribus difficilia, uel ut rectius loquar, impoßibilia forent. Cui rei confirmandæ hoc maximum argumentũ est, quòd nemini ante Christum in paradisum aditus patuit. Hunc oportuit prius portas peccatis clausas denuò reserare, & potentem gloriosumq; uictorem de morte, diabolo & inferno triumphum splendidißimũ ducere, & poßeßionem regni cõditionibus nunquam turbandis occupare. Quæ igitur meritorum nostrorum coram Deo cunctipotente uirtus & efficacia, si (ut etiam Paulus testatur) Abraam ex operib. iustificetur coram hominibus, eam ualere quidem iustificationem, cæ-*

terum coram Deo minime. Hoc non ideo dico, ut cuiq̃ securitatis autor esse uelim, uel officij Christiani contemptor, sed tantam illis uirtutem non tribuo, ut poßint nos coram Deo iustos reddere: quia Deus solus ita absolutè iustus est, ut sit fons omnis iusticiæ censendus. Vnde relinquitur, si prauus aliquis & perditus homo bona cœperit opera exercere, in speciem tantum bona ea sunt, reuera meram sapiunt hypocrisin. Nam uere bona sunt, quæ antehac ex mera Dei bonitate promanant: bonitas & iusticia illa antequam officium Christianum fecit ullum, ex dei gratia defluxit, illo nihil tale merente. Et ut huius rei documentum habeatis, Deus nobis fidem largitur. manifestißimum id argumentum est, hoc gratuitò diuinitus fieri. fides siquidem nequaquam uana est, aut futilis. Si uera est & recta fides, ociatur minime: nõ languida est, aut sterilis: non ceßat, sed exerit sese, & declarat uim suam officijs charitatis. Et quemadmodũ umbra perpetua corpori est comes, ita charitatis officia nunquam à fide auelluntur. Opera pietatis nequaquam repudiamus, sed gloriam omnẽ & integrã Deo autori soli tribuimus, illi acceptũ ferimus, quicquid per nos ueluti per instrumenta & causas secundarias fit, ut ipse suam ipsius uirtutem in nobis coronet, et pro suo

arbitrio,

arbitrio. quicquid diuinæ et immutabili uoluntati integrum uisum fuerit, de nobis statuat. Quemadmodũ sæpe fieri uidemus, ut in nihil meritos suam gratiam & misericordiã largißime effundat: & cõtrà, homines minime noxios cruce & afflictionibus accipiat. Sæpe sine meritis beat, nec rarius merita affligit & condemnat. Quærite ex Cardinali Contareno, num Lutheranis hoc axioma in comitijs Ratisponensibus concesserit. Certe catholicum hoc & sanctum, ut est, confeßus fuit, licet in conciliabulo ut parum recte concessum nolueritis. Interim bonus ille Contarenus Bononiæ ob hanc confeßionem pharmaco interijt: quod ipse non multis horis antequàm animam ageret, confeßus fuit. Et sanè Lutheranis non aliud ex suis axiomatibus cõcedere poteslis, quod uel ipsi pertinacius defendãt, uel ipsorũ causã ualidius iuuet, quàm si cõcesseritis, iustitiã hominibus ex solis Christi meritis cõtigisse. In hoc cardo profeßionis ipsorũ, imò catholicæ fidei uertatur. Sed quia uos intelligitis nihil uobis magis aduersari, nullis modis adduci poteslis, ut huic subscribatis, uobis interim parũ aduertẽtibus quàm periculose causa uestrà in utrãq; partẽ nutet. O quàm stultus et imprudẽs est mũdus, et quotquot eorum sunt qui uestra cõcilia, & uestræ ecclesiæ

reformationem expectant, quam nemo mortaliũ minus ferre poterit, quàm uos ipsi. Tam enim fieri potest, ut emendationem admittatis, quàm facile flumen aliquod montis culmen peracclıue ascendat. Cum itaq; dicendi fecissem finem, or diebatur, qui locum supremum & omni maiestate plenum obtinebat, & caput multiplici diademate cinctum habebat: qui iustissimo titulo dæmon abominationis appellari debet, concitato uehementer stomacho, contractis pro more supercilijs, uoceq; truculenta me sic alloquutus fuit: Nunquid tu quoq; me caput, et successores meos membra Antichristi appellasti? Ad hanc quæstionem sto hæsitans, numquid amplius dicturus esset. Sed is eadẽ repetens uerba, inquit: Nihil mihi respondes? An nescis quod potestatem te occidendi absoluendiq́; habeo? Ad quæ ego: Non equidem memini me quicquã tale dixisse, præter quàm quòd semel atq; iterum, cum in Antichristi mentionem incidissem, dixerim me coniecturis adduci, mihiq; fieri uerisimile, Antichristum, imò Antichristos esse plurimos, præcipuè eos qui Christi doctrinæ aduersantur, quorumq; uita ex diametro cum fide Christiana pugnat. Quare uestras explorate conscientias, inquirite corda uestra, & excutite totam uitam, Christi sectatores

uerius,

uerius, an aduersarij censendi sitis. Christus cum in his terris ageret, duxit uitam pauperem & ærumnosam, cuius morte nihil calamitosius. Christus nec aulas habuit, nec domos magnificas. Christus non usus est mulis, auro & purpura conspicuis. Christus haud unquam tanto satellitio stipatus incedere solitus fuit, ut qui uenerat alijs ministratum, non ut sibi quisquã ministraret. Christus noluit à populo in regem euehi. Christus annunciauit populo ueritatem. Christus ægrotantibus sanitatẽ restituere, claudos erigere, cæcis uisum donare solitus fuit: spiritus immundos expulit, esurientes pauit: mutis loquendi facultatem concessit, suscitauit mortuos, discipulis pedes lauit, cruciatus, angores, prauissimamq; ignominiam perpessus est, & postremo ob ineffabilem erga nos amorem ligno crucis affixus mortem gustauit, quo nobis uitam repararet. Conferte cum hoc tam uitam uestram, excutite actiones uestras diligenter, ab ipso diluculo auspicantes, cum è strato corpus mane corripitis, & rursus quieti traditis, atq; denuò surgitis. Inspicite uestra & dicta & facta, quæ die noctuq; agitis, nũ uel tantillum talium operum in uobis inueniatur. Nulla (id quod certò satis scio) monstrabitis. Profitemini uos pastores, oues uero uestras nec

custo-

custoditis, nec pascitis, sed deuoratis, atque deglubitis gregem. Nulla *quoq; uobis de ægro cura, sed sanos insanos redditis. Cæcis non modo uisum non restituitis, sed & oculos illis eruere quæritis: ijs nimirum, qui uos ueritati infensißimos uident, & animaduertunt, idq; in uulgus enunciant. Esurientes non pascitis, sed Thurcis Christiani nominis hostibus acerrimis commeatum suppeditatis, ianuam ad inuadendam* CHRISTI *Ecclesiam panditis: canes, & quidem uenaticos, in delicijs alitis.* Nullam *claudorum ac pauperum rationem habetis. Quinimò eos qui uia ueritatis incedunt, claudos efficitis.* Mortuos *nullos suscitatis: sed uos uiri sanguinum, sanguinem innocentiæ sititis, cui siti sedandæ nihil reliquum facitis. Ita pulchrè uestra opera operibus* CHRISTI *conueniunt.* CHRISTVS *commendabat coniugium, uos prohibetis. Christus Sodomitas igne & sulfure punit, & scortatione hominibus interdicit: uos nõ modo hæc profitemini, sed de his gloriamini. Christus abominatur idola et idololatras: uos edictis eadem statuitis, adeoq; omnes qui illis genua flectere grauantur, neque honorem præstant, supplicio afficitis. Christus in cibo &*

alijs

alijs nobis libertatem spiritus permittit, uos autem in seruitutem legis nos redigere, atagitis. Luce clarius est, id uerè esse Christo aduersari: nec interim cuiquam fas est, uos Antichristos, cacochristos, uel pseudochristos appellare, sed amatis salutari sanctißimi, beatißimi, cardinales, Pastores, Curatores animarum, Vicarij, mini stri ministrorum Christi, atq; alias eiusmodi plausibiles titulos longè præter decorum uobis arrogatis. Hæc est uestis illa ouilis, quam induti, lupinum uestrum ingenium absconditis. Vestram itaque ego uobis personam ante oculos statuo. Vos ad agnitionem uestri reuoco, ijs uos depingo coloribus, quibus uniuerso innotuistis mundo. & lux ueritatis atque euangelij uos cunctis, qui in securitate lucis ambulant, ita cognitos fecit, ut nemo fidelis sit qui uos nō pro Antichristis habeat. & quòd si ij qui estis, esse perrexeritis, certum uobis esto quòd Christus uirtute uerbi sui uos interempturus est, et exterminabit. Velim tamen uos existimare, quicquid huius est, nequaquam liuore correptum dixisse. Deus mihi testis est, quòd nihil magis in uotis habeo, quam ut Deus Optimus Max. dura uestra & adamantina uobis corda tādē emolliret, ut agnosceretis, quàm humaniter & amicè casum et periculosam uestram

uestram conditionem doleã, qui præsentißimam uobis imminere uideo manũ & flagellum Dei. Non me clàm est, *uos mire consilium, quomodo mihi necem propter ueritatis profeßionem strua tis: quare liberius uobis loquar*. Nam *deterius aliquid à uobis mihi accidere nihil potest*. Sed *hæc uos ignorare nolui, sanguinem illum innoxium, qui per uos effunditur propter ueritatis con feßionem, uobis irã* Dei *progignere, & uindictã aduersus uos prouocare: nec est quòd uana spe aduersus diuinam uoluntatem quicquam cum effectu tentare uobis persuadeatis, uel ut* Apo*sto lica utar parœmia*, Contra *stimulũ calcitrare: cui temeritati multo uobis potentiores nequaquã pa res esse possunt*. Nam *uestro consilio* Deus *aduersatur*. Qui *uero fit, quòd cum uos etiamnũ er roris caligine obcæcatus, iocularibus scõmatibus inceßerem, nihil ægre ferentes, risu mea dicteria excipiebatis: iam cũ* Domini *Christi mei, aduer sarij uestri, uerba uobis loquor & annuncio, de uita periclitor*. Vobis *ille risus in timorem & so licitudinem uersus est, quia uestris opibus, poten tijs, dignitatibus, delicijs timetis: soliciti, ne porrò uitam Epicuræam uel Sardanapalicam uobis uiuere liceat*. Hinc *ille lachrymæ, hæc est insidiarũ causa: hinc oritur furor, quo me è medio tollere satagitis*.

satagitis, sed fallimini, si putatis Pasquillum extin gui posse. Nullus est enim locus, nulla ciuitas, in qua non unus, sed plures Pasquilli sunt, qui nego tium Euangelicum *plenis buccinis decantant, cu ius numerositatis sola uestra persequutio & tyrannis causa est. Sed ô uos sanctißimos, & summa (si dijs placet) ueneratione dignos:* Me *cupitis extinctum, sed* Petro Luigom *aduersarium, cu ius scelera neminem mortalium latent. Sed nemo es qui uel gry de his dicat. Cur? Quia ipsius facta,* Romana cortesya, *& uirtutes aulicæ dicuntur: quæ si à uobis sententiam pati deberent, uos non censores iam & iudices, sed ipso reo nequiores deprehēderemini. Quandoquidē uero ita res se habet, ut ex fructib. arbores dignosci poßint, quis dubitet uos nō easdē esse arbores, quæ extir pari meritò, & in inextinguibilem ignem conijci debent? Hæc ita dicenti sermo interceptus fuit, ne que de his amplius uerba mihi facere locus dabatur: sed quærebant ex me, quid de peregrinationibus & uotis sentirem. Ad quæ respondebam in hunc modum. Hæc in mea intellexistis actione.*
Non *tamen grauabor, uobis ita uolentibus, rem denuò uno atq; altero repetere uerbo, & senten tiam de his meam melius declarare. Affirmo multo satius esse, imò multo sanctius et magis pium,*
S domi

domi suæ uiuere, charitatisq; officia erga proximum intra mœnia, intraq; parietes exercere. Rationi & pietati magis conuenit, pecuniæ, tempori, labori, solicitudini & uitæ parcere. coniugem liberos, familiam (quorum curam fidelem nobis Dominus *mandauit) non deserere: & ea perficere, quæ à* Deo *nobis iniuncta & præcepta sunt, quàm illa quæ à* Deo *præscripta nobis non sunt, imò* Dei *uoluntati ex diametro repugnãt. Quod si igitur animus suaserit pietatis ergò peregrinari, & solum uertere, tam oblatam pietatis exercendæ occasionem cuique sua natio, si a patria, suaq; adeò domus præstabit, ut non necesse sit foris quærere, quibus benefaciat . Inueniet pauperos & ægrotos omni ope destitutos, ut præsens iã necessitas tibi omni peregrinandi prolubium facile excussura sit . Quantum uero ad uota attinet, sic arbitror: si huic uoto quod in baptismate fouistis, & obstricti estis, satis feceritis, & huic pro uirili responderitis , adijcite deinde quicquid pietas uobis suaserit. Nunquid omnes , qui baptisati sumus , in nomen* Iesu Christi *iurauimus , contra principem huius mundi, contra regnum mundanum , & ipsis conuuratam carnem & peccati fomitem arma sumere uelle? Quando iurata præstitimus ? An non hoc*

ciuili-

ciuilibus quoque moribus receptum est, ut prius æs illud alienum persoluamus, quod prius fecimus? Ad hæc uota facientes non animaduertitis, hoc uobis sumere, quasi minime obærati Deo, ultrò de uestro poßitis aliquid erogare, præstaréque. Tantáne uestra peruersitas, ut conditionibus cum Deo *omnium bonorum datore paci͡sci audeatis, & contractus innominatos facere? Si hoc mihi dederis, aut si in hoc mihi morem gesseris, tibi bona fide hoc aut illud uicißim præstabo.* O *detestandam stulticiam, ô cæcam arrogantiam. Ecquid illud est, quod rerum omnium conditori* Deo *præstabitis? Quos esse uos putatis, qui* Deo *fidißimo & benignißimo conditiones dare, præscriberéue audetis?* Tum Cardinalis Chietini, *Responde nobis de confeßione: quid sentis de ista hypothesi?* Aßero *inquam, triplicem esse confeßionem: primam eam qua* Domino *confitemur, & nostram imperfectionem coram ipso agnoscimus, nempe quòd sine eius ope ne tãtillum quidem præstare poßimus. Alteram, quæ domino* Deo *indesinenter ob beneficia gratias agentes, bonitatem eius laudibus euehimus, psalmis & spiritualibus hymnis celelebramus, & sacrificium laudis offerrimus, nec nomen eius*

coram hominibus cessamus prædicare & magnificare. Tertiam, cum proximo fratri nos peccatores miseros esse confitemur, lepram & morbum nostrum illi ostendimus, consilium & auxilium ab eo (si modo Dei *minister sit) efflagitamus.* Dei *uero ministrum his cognoscimus characteribus, cum nobis sanctum* Euangelium, *lætum et salutare nuncium, purè & syncerè annunciat, docetq;* Deum *nobis per Christum Iesum peccata nostra condonasse, cum afflictas nostras conscientias, & collapsos pœnitudine animos diuinorum oraculorum testimonijs erigit.* Nam *tum demum uere fit peccatorum solutio, cum Christianus hæc uera fide credit, & promißioni* Dei *nititur: hæc mea est de confeßione sententia. Quinimò hoc, si pius quisque pro se Christiani nominis profeßor nullo non tempore conqueratur, & male acti temporis horas inutiliter sibi fluxisse doleat, neq;* Deum *pro dignitate satis amatū fuisse, neq; proximo debitum officium esse præstitum. Sed uos peccatorum ueniam pollicemini, si uel dominica precatio quinquies, decies ue in singulos dies repetita, toties angelica salutatio, toties rosaria iterata recitentur, si peregrinando solum uertatur, si ceræ adoleantur, si id genus alia conficta piamina fiant: tam parum probo, quàm quod minime.*

Nam

Nam si in his nugis satisfactio sita esset, meritum Christi superuacaneum esset. Christi pro me passio euacuaretur, si id meis efficere possem piaminibus, quæ uel ipse mihi comminiscerer, uel uos mihi iniungeretis. Plura *essent quæ dicerem, ni tædium prohiberet uerba inaniter effundere, & in uentum eloqui.* Nam *uideo quosdam ex ordine uestro, qui labrũ mouentes infrendant, mihi id dicturi, quod sacerdotes uisu donato respondebant:* Tu *quantus quantus es, in peccatis natus es, & tu nos docere tentas?* Atqui *hoc uos ignorare nolo, quòd sapientia cœlestis infantibus & lactentibus duntaxat est reuelata. ijs inquam, qui sapientiam huius mundi negligunt: à qua si quis abest longißimè, uos estis maxime, qui hanc soli uobis uendicatis.* Et *qui sibi de immobili quadam conditione blandiuntur, illi grauißimæ ruinæ sunt proximi.* Quam *si effugere uultis, hoc unice studete, ut* Dominum *Christum amore prosequamini, & eius uitam uiuendi uobis exemplũ statuatis.* Sub *hæc Sacri magister palatij prodibat, ultionem spirans, & his me uerbis incessans :* Edisere, *quid sentis de cœnobijs: monachis, ordinibus, & uestibus singularibus: probás ne illa?* Ego *uero inquã, ista nec probo, nec laudo, solum* Deum *laudibus eueho. atq; ita persuasus sum, si primi collegiorũ*
 autores

autores siue fundatores reuersuri sint, sua ipsorum instituta non amplius agnituros esse, sed quicquid id esset, funditus eradicaturos. Quæ hodie magnifica conspiciuntur templa, olim lapide, calce, lignoque in hunc duntaxat ædificabantur finem, ut Ecclesiæ, *id est conciones sacræ ibi fierent, & auditoria uerbi diuini scholarum instar habebantur, in quibus sacri enarrabantur libri*. Sed hæc res *in eum usque adcreuit luxum, ut pro delubris nescio cui cultui consecratis habeantur. Quasi uero* Deus *in manufactis habitet templis: quem usum olim Christiana religio ignorabat, quem diuina scriptura improbat, quæ dicit* Deum *non in templis manufactis habitare*. Nam *templum illud in quo* Deus *habitat, ex uiuis (ut* Petrus *inquit) constructum est lapidibus: qui à uobis prorsus ignoratur*. Hi *inquam pij sunt homines, &* Deo *dediti. sed uestra collegia & cœnobia, in tantum aucta sunt stulta piorum benignitate, quibus maiores uestri persuaserunt, illud donum siue beneficium bene collocatum esse, quo uentres uestri saginentur, ociumque uestrum non pijs studijs, sed libidini aleretur, foueretur que. Quantum uero ad uestium cultum attinet, si omnino à me, quid de his sentiam,*

am, scire contenditis, breuiter sic accipite. Hæc *uestimentorum genera, tantum sunt hypocriseos instrumenta, pietatis personas ementientia: illis induuntur, qui sanctimoniam nescio quam fouere solent, & humani generis communicatione relicta, abdunt se in monasteria, paradisum merituri.* In his natæ sunt tam uariæ regulæ *obseruantium, qui nec* CHRISTI, *nec monasticas, quamobrem foueuntur, regulas obseruant.* Quid *non facit ocium, & cibus alienus?* Nam *totum terrarum orbem hæc lues inuasit.* Ocij *siquidem & uoluptatis studium, quod in hisce monasterijs inuenitur, tot monachos ad uoluptatis professionem inuitauit.* Sed *huic rei pulchrè mederi posset per* Andream Doream, *si eiusmodi inertes saginatosque monachos (qui ex sudore & sanguine pauperum ociosi uictitantes, ueluti fuci ignaui alienos labores absumunt, omnemque curam crapulæ impendunt) in carinas damnaret, quibus mare à piratarũ* Turcarum *incursionib. pacatũ seruant. ipsorũq; redditus, quos iniusta possessione occupant, sic in legitimum conuerterentur usum, nempe ut ægrotantium inopia inde leuaretur, ut uirgines ope destitutæ elocarẽtur, ut studiosi iuuenes in usum* Ecclesiæ *fouerẽtur. atq; sic*

pauciores inuenirentur stultè pij homines, qui bona sua tam facilè cœnobitis, uentribus istis pigris impenderent, germanos interim liberos et iustos hæredes præter ius et fas hæreditate fraudantes, quod hactenus (nefandum dictu) fieri solitũ fuit.

De libero deinceps arbitrio, quæ mea esset sententia, inquirebat cardinalis ingressus, ad quam quidem inquisitionem respondebam his uerbis: Quid multis uobis de ueritate disseram, ueritatẽ tam ægris animis audientibus? Quid apud uos prædicando ueritatem efficiam, qui ueritatem animis tam infestis persequimini? Sed ut de his, sicut de alijs plerisq; libere & intrepide confitentem audiatis, simulq; ueritas audita conscientias uestras euincat, hanc meam de libero arbitrio accipite sententiam. Arbitrium ego non liberum, sed seruum appello. Causa huius meæ assertionis potissima est, quòd penes nostrum arbitrium nõ est quicquam facere, quod ad uitam beatam pertinet. Imò quicquid recti boni úe à nobis fit, id ex fonte omnis boni, nempe Deo bonorum autore fluit. Sed mala designare nostri arbitrij facultas est, quod tamen nos male grati ad Deum autorem non sine maxima impietate referimus. Liberi inquam arbitrij, quod mala, et iniqua perpetrandi abunde habemus, non meretur nomen liberi, quia male

male facere non tam eſt δυνάμεως quàm τῆς ἀ-
δυναμίας καὶ ἐνδείας, & imbecillitatis. Quare
id ſeruitutis, nō libertatis eſſe duco. Nam qui pec
cat, ſeruus eſt peccati. Libertatis itaq; nomen hic
nullum habebit locum, neq; ad bonum neq; ad ma
lum perpetrandum. Sed arbitrij nomen delictis
magis quadrat. habet enim in ſe neſcio quid licen
tiæ: in recte factis autem neutrum conſiſtere po-
teſt. Interrogatus de gratia quid ſentirē: reſpon-
deo, Deum ex mera gratia ſui nobis largiri cogni-
tionem, quando, quomodo, & cui. Hoc conſtanti
fide aſſero. De prouidentia quid? De prouidentia
inquam, ſic ſtatuo: qui ſaluti deſtinatus eſt, ſalu-
tem conſequetur: & qui æternam Dei ſententiā
paſſus eſt, damnabitur. Aſſero electos ante mun-
di conſtitutionem fuiſſe electos, ſine ulla noſtrorū
operum adiectione, id quod uniuerſa teſtatur ſcri
ptura. Sed uideo, planeq; compertum habeo, hanc
ueſtram inquiſitionem nihil aliud agere, quàm ut
ex mea confeßione mihi necē ſtruatis. Quare hoc
liberius omnia effutiam, quod ſciam uobis nec me
am confeßionem, nec ueritatis ſermonem tam ar-
ridere, ut inde ſpes aliqua de uobis ſit capienda.
Nam quia ex Deo non eſtis, ueritatem & lucem
ferre non poteſtis: ſed hoc agitis, ut ex confeßio-
ne mea necis occaſionem captetis, & eam in me

S 5 tyran-

tyrannidē exerceatis, quā in innocentißimū unū Sauaronolam exercuistis. Quid multis? *extinctum me cupitis, sed fallimini.* Hoc uobis certo *certius esto, me nunquam moriturum, sed sempiternam uicturum uitam.* Et in hoc *factus sum ut lapidis officio, de quo diuina sunt oracula, functus, uniuerso mundo uestram malitiam astutiamque, qua ipsum seducitis: testatam reddam.* Surgens itaque Pontifex è solio suo maiestatis pleno Cardinalibus, ait: *Domini, confeßionem eius audiuistis, quid opus habemus testimonijs?* Hæreticus est, *Ecclesiæ* Romanæ *aduersatur. Hæresis ista nobis amplius ferenda non est.* Iam *ut exemplum uulgò fiat peropus est, quo nostram authoritatem tueamur, & uulgus in officio retineatur, ne dignitas nostra porrò labefactetur: quòd si cessauerimus, nec huic malo obuiam iuerimus, abiectißimus quisque & nobis & nostris derogabit honoribus, sibique sumet nostra nos authoritate & dignitate destituere.* Et tu *Pasquille tuas res melius cura. Apud nos parum ponderis habet Christi nomen toties iteratum: nec crebras scripturarum citationes, neque uestra illa nugamenta moramur.* Nos *obedientiam nobis præstari uolumus, & ut per omnia nobis mos geratur.* Nos, *nos inquam, Pontificio*

tificio munere fungimur, non Christus, non Lutherani. Num tu prudentior es tuis maioribus? satis fuerat nos à Lutheranis in Germania tantopere contemni: non opus est Italos, barbaros Germanorum mores imitari. Nos non ferimus quenquam nobis imperare. Nos sic uolumus, sic iubemus, ut nemo quisquam ne gry quidem aliter quàm nos statuimus, uel pro concione, uel in scholis doceat. Hic nos tot habemus statuta, tot ordinationes, tot decreta, tot decretales, tot canones, & regulas. Ad eorum præscriptum ut uiuatur uolumus. Alij quid dicant, scribant'ue, nihil curamus: & qui contrà inquiunt, plectentur capite. Tu stultos adeò & amentes nos rere, ut quid rectum sit haud intelligamus? Hanc tu rationem inire debebas, nostra tempora longe alia esse à tēporibus Petri piscatoris. Iam sic mos est, nō idem qui priscis illis temporib. apud antiquos. sed à nostris maioribus hanc religionē ueluti per manus accepimus, per manus etiā posteris hāc nostris traditum, uobis interim grauissime impingentibus. Et si tu, tuiq; similes ad insaniā usq; tumultuamini, nihilominus nos saluis dignitatib. pontifices, monarchæ, hierarchæ, domini, Reges et Cæsares permanebimus: utra pars alteri cessura sit, experiemur. Sed confidimus, breui nos nostris

machi-

machinationibus & artibus id effecturos, ut aduersarijs nostris linguas facile obstruamus. Christus iam aliud habet quod agat, non curabit ea: nobis hanc curā reliquit, & mandauit. Quare meritò nostri imperij iugū submissa obedientia susci pies, neq; à ueteri sanctæ Ecclesiæ *ritu deficies. At qui uidemus quòd neq; admonitio, neq; cohortatio quicq̄ apud stupidos illos proficit, digna in ipsos pœna animaduertemus. At quia tu* Romanus *et nostri palatij familiaris es, pro clemētia nostra causam iam tuā ampliabimus, alio tēpore sententiam de te laturi. Iam te in carcerē relegamus.* Cō*festim itaq; misere uinctus, & in opacā custodiā traditus fui: cui dum inclusus sedeo, actionē hanc meam euulgare uolui, ut quiuis hinc æstimare possit, quid reliqui* Pasquilli *in preciosa libertate uiuentes in medium proferre possint. Ex hoc porrò uidere est, q̄ stulti sint ij qui per tyrannidē & minas, aut artibus quibusdā uerbū* Dei *se impedire posse arbitrantur, quo ueluti gladio* Deus *ipsos feriet, & interimet: & hæc erit securæ temeritatis pœna, qua susq; deq; ferūt diuinitus'ne eiusmodi res an minus eueniant.* Nam *si diuinitus hæc non euenerunt, euanescent propediē sua sponte, et in uentū ueluti fumus abibunt. Sin uero diuina hæc prouidētia fiunt, nulla profectò potestas nec diabolica,*

bolica, nec pontificia antiquabit, abolebit'ue: & ipsi suo periculo discent, quid sit aduersus Deum & aduersus ueritatem niti. Sed quid inde proficient, si uel maxime sciant hæc diuino consilio fieri, sibi conscios esse, & quòd Antichristi contra Dei decretum *nequicquam nitantur. Quia uero scribæ & pharisæi sibi, suisq; fortunis, ne in periculum ueniant, timent, ea res profectò facit, quòd adeò truculenter in me & alios sæuiant, sed quanto uehementius* Deo *suoq; uerbo, ueritati nimirum sanctæ aduersantur & repugnant, tanto facilius suis ipsorum retibus capiuntur, tandemq; uicti herbam porrigere cogentur. Hæc mihi in hac mea causa minime leuis est consolatio.* N*am & si sibi persuadeant me in suos incidisse laqueos, & mihi os ob id esse obstructum, quia me uinctum tenent, arbitrantur, nihilominus annuncio & loquor uerbum* Dei *mei intra parietes nullo uel temporis uel loci præscripto: & nomen, beneficia, bonitatemq; potentissimi Dei extollam, magnifaciam, & prædicabo in æuum usque.* N*am sic nobis lapidibus facere per oracula iniunctum est, cum ij quibus hæc cura demandata est, in hoc non modo cunctatores sunt, sed etiam docentes infestissimis animis persequuntur.* Q*uæ quidem persequutio, illis erit interitus causa cer-*

ſa certiſſima: uerbum autem Domini manebit in æternum, cui laus, honor & gloria, in æuum.

AMEN.

ERRATA *inter excudendum cōmiſſa, ſic emendabis.*

Pag. 7. *uerſ.* 23. *quò* 8. 22. *hypocriſin* 13. 20. *fecerũt* 15. 13. *Pythagoreis* 19. 7. *cōiungatur* 25. 3. *et tibi* 26. *antepen. hoc habitu?* 27. *penult. igne* 37. 2. *ſingulos. & penult. Anguſtiniani* 38. 18. *appellaſſet* 47. 4. *cōtingere* 49. 4. *fides: una ueſtis, charitas:* 50. 15. *miſſis* 51. 12. *de le, in* 59. 11. *cœnobijs* 60. 13. *Huiuſce* 61. 9. M. *Eſt'ne* & 13. *nomina* 63. 3. *eandē* 67. 1. *ſe & ſua admir.* & 8. *cōnubio abſtineret, quod Deus ille pater rerũ ſtatim* & 23. *adeò & ult. audiendo* 69. 13. *cœlibē* 72. *penult. audiuiſti* 73. 15. *relinquũt* 74. 16. *quî fit* 76. 23. *exhibet* 78. 20. *uitã* 80. *penult. ſimiã* 83. 19. *profeſſi* 92. 2. *poteſt)* & 23. *quære* 94. *antepen. ipſe utitur* 96. 5. *quæſtionũ* 98. 2. S *præponi* & 98. 12. *offerētur* & *penult. Chriſtophorũ* 101. 15. *præſtandi* 102. 1. *obnoxiam* 105. 14. *meliore adeò* 107. 13. *in cuius* 110. 18. *Antæcis* 111. 9. *Chacedonenſe* & 18. *Euãgelio, pro Chriſto,* 112. 10. *teſtamenti* 113. 6. *ſapientiã & dicimus* 114. 9. *ſacrificia ſue* 116. 11. *eo nihil* 119. *in marg. papiſtico* & 11. *alij, quidã ſimpl.* 147. 5. *cōſcientijs* 152. 12. *uo!ebã, ſed cæleſtes)* 160. 5. *cordi. accitoq;* 163. 19. *atq;* 164. 1.

Noni, quòd 172. 23. 23. *altißimo, suauißimũ eff.* 175. 3. *dicunt* 189. 27. *seruaret* 195. ult. *frater, tibi condonata sunt peccata* 196. 11. *esse pœnit.* 201. 21. *tot mũdi* 202. 8. O Probe 221. 10. *uiolentæ necis* 225. 5. *domini haud* 229. 13. (*dum* 249. 7. *impares.*

QVAESTIONES PASQVILLI, DISPVtandæ in futuro Concilio per Pontificem indicto.



ASQVILLVS Per complures iam annos uarijs modis multa proposuit: sed quoniam frustrà consumpsit rationes omnes, in medium adducit quæstiones aliquot disputationis causa, de quibus omnino cupit rectius informari, quoniam frequenter audit eas uenire in controuersiam. Et primò quidem:

1 *An cantus ille quotidianus monachorum, sit dicendus labor quidam asininus, & corporis exercitium potius quàm animi.*

2 *An Canonici uisitantes chorũ & templum propter lucrum, recipiant mercedem suam in hoc mundo.*

3 *An resignationes, permutationes, cauponationes, & impetrationes beneficiorũ (prout hodiè stilus obtinet) sint simoniacæ.*

An

An qui missam pecunia redempti dicũt pos 4
sint comparari cum baiulis Lutetianis, qui per plateas primo cuiq; se offerunt.

An monachis & monachabus permittẽdum 5
sit, ut ad matrimonium conuolent: quum Christus dicat, non omnes capere uerbum illud continentiæ.

An non sit periculosum ciuibus, adeòq; in- 6
tolerabile, crassos & benè nutritos, item ocio & luxu diffluentes sacerdotes, apud ipsos commorari sine uxoribus.

An opus sit in una aliqua urbe tam multis 7
milibus sacrificorum, è quibus tamen paucissimi uel docent euangeliũ, uel sunt ad docendum apti, quum Christus mandauerit hoc Apostolis, tanquam proprium officium, Ite prædicate Euangelium.

An illi qui populum nõ docent, hoc est, qui 8
uerum ecclesiæ munus non obeunt, sint capaces bonorum ecclesiasticorum: an uerò sint dicendi prædones, & sacrilegi.

An admissa iustificatione per fidem in Chri 9
stum, corruat purgatorium, & quicquid super eo fundatum est.

An ullus sit hodiè per omnem Europã Epi 10
scopus, qui suum faciat officium, sicut ab Apo-

stolis præscriptum est.

11 *An* Episcopi,*qui de grege suo nihil soliciti, solum intenti sunt deglubendis ouibus, dici poßint ueri pastores: an uerò mecenarij, sicut* Christus *ait.*

12 *An rasura capitis, & unctio manuum in sacerdotibus, sit character ille bestiæ, de quo loquitur* Apocalypsis.

13 *An* Theologi *scholastici, qui propter doctrinam suam nihil patiuntur, sed faciunt grande cherubin, sint dicendi potius speculatiui, quàm practici.*

14 *An illi qui sacram scripturam uetant à populo legi, tacitè indignentur & fremant, quòd eiusmodi libri scripti sunt.*

15 *An 23. Matthei caput poßit accommodari ad* Theologos, *monachos, & reliquos papistas nostri temporis.*

16 *An persecutores* Euangelij *& ueritatis, hodiè poßint cõferri cum* Pharisæis, *qui* Christo *&* Apostolis *insidiabantur.*

17 *An similis causa hodiè concitet papistas aduersum* Euangelij *doctrinam, qualis recitatur in* Actis Apostolorum *de* Diana Ephesina.

18 *An illud* Euãgelij, *Cauete à falsis prophetis: item illud* Petri, *Per auaritiã cauponabuntur uos*

ubs in sermonibus fictis: & id genus alia multa loca, recte conueniant in uniuersum gregem papisticum.

An illud quod Christus prædicit Matthei 24. de uarijs pseudoprophetis exorituris, intelligi poßit de uarijs monachorum sectis, qui omnes, alij alia uia, & per alios diuos, conantur in cœlum irrumpere. 19

An illud quod Paulus prædixit futurum, ut in postremis temporibus exoriantur homines mala præditi conscientia, prohibentes nubere, & uesci cibis (quos tamen Deus creauit sumendos cum gratiarum actione) poßit intelligi de Papa, qui hæc omnia prohibuit. 20

An monachis, et reliquis papistis, iam toties deprehensis in fraude, quando miserum populum nouis subinde miraculis ludificant, in ulla re deinceps credendum sit, iuxta illud, Qui semel est malus semper præsumitur esse talis. 21

An illud Danielis de abominatione desolationis in loco sancto, quadret in nostra templa, quibus Papa cœlum precio uendidit, quæ quidem uidetur esse summa & incomprehensibilis abominatio. 22

An uerum sit quod dicunt ecclesiam non posse errare, quum tamen ipsimet fateantur es- 23

se multos abusus, quos ipsorum ecclesia hactenus inuexit, & auxit etiam.

24 An Papa cum uniuerso grege suo sit uera Christi ecclesia, quum neq; doctrina, neq; uita Christum referat.

25 An Papa sit homo peccati, & filius perditionis, qui sedet in templo Dei, & se exaltat supra omne quod dicitur Deus, ut ait Paulus 2. Thessal. 2. quum locus ille sit intelligendus non de aliquo tyranno, qui ui armorum grassatur: sed de eo qui sub prætextu religionis infinitam tyrannidem in animos & conscientias hominum exercet, qui propter speciem sanctimoniæ quiduis facit & decernit: qui diu floret & triumphat, quia non agnoscitur: & tandem suo tempore detegitur, & reuelatur spiritu oris Dei, id est prædicatione uerbi.

26 An Papa sit meretrix illa magna, cũ qua fornicati sunt reges terræ, de cuius abominationis poculo inebriatæ sunt omnes gentes, ut inquit Apocalypsis.

27 An Papa sit cornu illud paruulum, oculos habens, & os loquens grandia, de quo Daniel.

28 An si Papa est Antichristus, poßit esse uicarius Christi.

29 An monachi, & totus grex papistarum, sint

mer

mercatores illi de quib. loquitur Apocalypsis.

An sedes papalis, & curia Romana quæ sic est conspurcata omnis generis impuritatibus, dicenda sit Babylon. 30

An credibile sit, papam optare, aut posse ferre concilium pium & liberum, in quo collu uies ista malorum, per eum inuecta in mūdum, legitimè repurgetur. 31

An Paulus tertius, qui dicitur esse auarißimus, cogitet unquàm de Deo: quum Christus dicat, Vbi thesaurus, ibi cor tuum. 32

An Papa, qui reus agitur de hæresi, idololatria, & blasphemia, poßit præsidere concilio. 33

An Petrus Aloisius Papæ filius, quem omnes dicunt esse ualde impurum Sodomitam, mereatur dici capitaneus ecclesiæ. 34

An nō sit expediens reipublicæ Christianæ, ut Papæ auferantur imperia & ditiones, quo hac ratione uideatur an uelit redire ad pristinum ecclesiæ officium. 35

An Papa malit Germaniam, imò totum orbem uastari bello, quàm suum imperium & potestatem imminui. 36

An dubitari poßit de ruina papatus & magnæ bestiæ, sicut scriptura dicit, quum iampridem & Bohemia, et potißima Germaniæ pars, 37

item tota Dania & Anglia defecerint ab eo.

38 *An rex Galliæ non habeat iustam causam præcipiendi, ne qua deinceps pecunia Romam perferatur, quum Papæ aliquando Gallicis opibus instructi & armati bellũ Gallis intulerint.*

39 *An Papa dispensans omnia pro pecunia, poßit dici nũmatus Papa, & haberi suspectus de auaritia.*

40 *An sperari poßit aliquid boni à Papa & illius sodalitio, quum Christus neget sanari blasphemos, & eos qui contra conscientiam oppugnant ueritatem.*

41 *An primatus Romanæ sedis sit legitimus, quũ fuerit impetratus ab Imperatore Phoca sicario, qui dominum suum Mauritium Cæsarem clàm & nepharie occidit.*

42 *An Papa, Cardinales, & Episcopi sint sponsa Christi, quum tam multos alant domi cynædos, & meretrices.*

43 *An si Christus hodie uersaretur inter papistas, ut olim inter Scribas & Pharisæos, denuò crucifigeretur ab eis.*

44 *An Papa ille qui fecit decretalẽ de duobus luminaribus magnis, sit comparãdus cum illis qui struebant turrim Babylonicam.*

45 *An cũ Innocẽtio octauo Papa, qui planè fuit illite-*

illiteratus, potuerit dispẽsari ut Missam diceret.

An Iulius secundus Papa bellator satis aper- 46
te monstrauerit Antichristum iam uenisse, neque diutius expectandum esse.

An Leo decimus Sardanapalus, comparari 47
posit cum diuite epulone.

An Clemens septimus, fomes bellorum inter 48
monarchas, impleuerit mensuram suorũ patrũ.

An Paulus tertius necromantiæ deditus, pos 49
sit excommunicari.

An credibile sit, primum quòd Papa concor 50
diam principũ ex animo cupiat, cum ipsius maiores bellorum semper fuerint authores: deinde si cupit, an reipublicæ causa cupiat, an sua potius priuata de causa. postremò, an pax illius intercessione constituta posit uel esse diuturna, uel fœlicem habere exitum: quandoquidem Christus ait, uitiosam arborem non posse non malos proferre fructus.

An institutum Papæ, qui Monarchas uide- 51
tur uelle reconciliare, simile sit illi cõsilio quod sathan suggerebat uxori Pilati, non ideo quidem quòd afficeretur morte Christi & tormentis, uerum quòd regno & tyrannidi suæ uim fieri uidebat, & damnum inferri irrecuperabile.

An alius quàm tristis, horrificus, & luctuo- 52

sius exitus esse posit huius nostrorum temporũ mutationis, quum horrenda sit & plane incomprehensibilis Antichristiani seu Pontificij regni fœditas, & immanis quædam nulloq; sermone effabilis obstinacia.

53 *An scripta Sadoleti, & aliorum qui pontificiam ecclesiam hactenus propugnarunt, haberi debeãt suspecta, nunc postquam patiuntur sibi uel inuitißimis honores & dignitates obtrudi á* Papa.

54 *An* Papa, *qui nunc tandem legatum permisit & dedit Galliæ, bene sciuerit practicare illud, quod dici solet, inter duo mala (patriarchã uidelicet & legatum) eligendum esse minimũ.*

55 *An si* Papa *sciret futurum ut Cæsar &* Gal*liæ rex pariter & coniunctis uiribus armorum non adiuuarent ipsum in* Protestantes, *ullam esset uel pacis, uel concilij facturus mentionem.*

56 *An non fatendũ sit, Deum sceleribus nostris & ingratitudine summe concitatum esse, quum uideamus consilia nostra omnia infeliciter cadere, bellum ex bello seri, calamitatem aliam ex alia nasci, perturbari rationes nostras omnes ex improuiso, & ita confundi nouis identidem impedimentis, ut qua parte nobis incipiendum sit prospicere non poßimus.*

An

An reges & principes, qui licet in hac clarissima luce non possint his temporibus Antichristum nō agnoscere, tamen non solū non dissimulant, uerumetiam modis omnib. gratificari studeut, & obsequi ueritatis hosti, metuere debeant, ne quemadmodum priscis temporibus multis regibus, ita nunc ipsis quoq; Deus eripiat populum & regna. 57

An sit credibile, monachos posse meditari ueram et piam reformationem, quādiu consiliis & deliberationibus suis adhibent eos qui & Papæ multis nominibus addicti sunt, & quiduis potius ferant quàm ut ipsorum commodis & opibus aliquid decedat, aut ut ipsorum detegatur improbitas & nequitia. 58

An Papa, qui per cardinalem Contarenum Ratisbonæ post longam disceptationem in causa religionis, uoluit omnia reijci in concilium generale, & quum imperij Principes nationale decernerēt, nisi generale illud intra certos menses inchoaretur, uehementer se ipsorū opposuit decreto: satis indicarit, quid ab eo sperandum sit, & quid meditetur. 59

An quum idē cardinalis Contarenus, in scripto quodā suo ad imperij Principes diceret, sperandum esse futurum, ut Protestantes ad gremi 60

um ecclesiæ Romanæ redirent, atq; Protestan tes uicißim tum alio scripto responderent, se id minime omnium facturos, opus sit deinceps ulla collocutione.

61 *An oporteat hoc ipso hodie offendi, quòd Euangelij doctrina dissensiones & motus parere uidetur, quum Christus hanc ueluti notam singularem & energiam uerbi sui esse dicat, ut gladium mittat, non pacem: ut filium à patre, & matrem à filia dißidere faciat.*

62 *An argumentum illud ualeat, quo pleriq; hodie utuntur, non esse credibile Deum uoluisse patres nostros errare hactenus, & carere uera doctrina: quum eadem ratione quæri poßit, cur idem Deus permiserit & Aphricam & Asiam omnem incidere in tam horrendas tenebras post deperditam Euangelij lucem, & inuectam nouam doctrinam. Fatendum enim est, omnino reliquias Euangelij solum in Europa, tertia mundi parte, eáque minima, perdurasse.*

63 *An illi qui hodie multis in locis necantur, sint uere hæretici: & ut sint tales, an necari debeant, quum Christus expresse iubeat ut sinamus crescere tam zizania quàm triticum, nec euellamus illa.*

An

An non oporteat patrum & conciliorum decreta referre & examinare ad præscriptum Euangelij: quum Apostolus diserte dicat, aliud fundamentum non posse poni præter id quod positum est: et futurum, ut super hoc fundamentum alij ædificent aurum, alij stipulam, alij lignum, &c. 64

An solennes illæ & ordinariæ disputationes Sorbonicæ ullo modo prosint ad intelligentiam sacræ scripturæ, quum sint planè ociosæ de rebus friuolis & distortis, & plusquam supercœlestibus & spinosis, & Seraphicis, quas nec ipsi qui loquuntur, nec ij qui auscultant, unquam intelligere possunt: & ut intelligant, nihilo tamen aut meliores ex ijs, aut doctiores futuri sint. 65

An si Papa unum aliquem articulum sibi patiatur extorqueri in concilio generali, si quod futurum est unquam, uerè dici posit, & affirmari, ipsum nō esse Ecclesiā, quandoquidē hactenus contendit Ecclesiā errare non posse. 66

An Ecclesia, hoc est cœtus ex hominibus constans, errare posit, quandoquidem proprium est hominis errare & labi: deinde ut maximè errare non posit, quia hoc quidam allegant, Vbi duo uel tres in nomine meo, &c. 67

& cætera: an Paparum, cardinalium, & Episcoporum cœtus errare possit. qui à plurimis iam seculis ad concilia conuenerunt, non ut Christi gloriam illustrarent, sed ut opes & dignitates suas magis magisq; confirmarent & stabilirent, præsertim quum horrendos in postremis temporibus exorituros errores scriptura prædicat.

68 An in rebus ad fidem & salutem nostram pertinentibus aliud mandari possit præter euangelium, quum Deus filium suum unigenitum audiri iusserit, non alium. Item quum ipse Christus iubeat, nos cauere ab hominibus & eorum doctrina.

69 An quum aperte uideamus in quàm tetros et abominabiles errores degeneratum sit, postquam humanis traditionibus semel patefacta uia, præscriptum Euangelij neglectum fuit: non satis magna debeat hæc esse causa, quo tantis malis & incommodis ob oculos uersantibus, prudentiores facti, locum demus, & animi nostri superbia reiecta, cedamus illi, qui solus errare non potest, quiq; iussit ut in ipsius mandatis nec ad dexteram nec ad sinistram deflectamus.

70 An non fatendum sit, magnum quoddam

esse

esse mysterium, & miraculi plenum istud, quod hodie agitur religionis negocium, quòd ex tam paruis initijs per unicum hominem publicè damnatum initio, & reiectum à toto orbe, immò prædæ omnium expositum, in hanc tantam creuerit amplitudinem, ut ijs qui se hactenus opposuerunt, meritò posßit incutere terrorem, modò ne omni sensu careant.

An illi qui uolunt uideri fauere Euangelio, quo uideantur etiam aliquid sapere, & tamen interim assentantur ijs qui persecutiones excitant, comparari debeant cum Herode, qui iurisiurandi meretricij & illiciti religionem, sanctißimi hominis uitæ præferebat. 71

An illud Euangelij, Qui amat animam suam in hoc mundo perdet eam, &c. quadret in delicatulos & sapientes nostri temporis, qui propter Euangelij doctrinam ne minima quidem suspicione grauari uolunt, ut suauiter & quiete uiuant, utq; suas opes & dignitates habeant illabefactatas. 72

An ij qui hodie fatentur quidem aliquos errores, & interim tamen non modò contemnunt, uerum etiam damnant eos per quos monstrati sunt ipsis errores, sint similes Pharisæis, 73

qui

qui dicebant ad cæcum natum & illuminatum à Christo, Scimus quòd Deus sit locutus Moysi, quis autem hic sit (Christus uidelicet) & unde sit, nescimus.

74 *An illi qui propter dogmata quædam religionis, horrēdas excitarūt persecutiones, eoq; sunt progreßi furoris, ut ad sæuitiam nihil adijci poßit, commodè queant, etiam si uelint, agnoscere crimen, & fateri se fuisse huius tam immanis carnificinæ authores.*

75 *An illud Euangelij (Ne fortè ueniant Romani, & tollant locum nostrum) quadret in reges & principes, qui sinunt sibi persuaderi, futurum, ut populum habeant rebellem, & minus obedientē, si doctrinā Euangelij recipiant.*

76 *An illud quod Paulus ait de doctrinis dæmoniorum, quas in spiritu præuiderat, & exorituras ait, competat in papistas, qui propter suas traditiones occidunt, & uarijs modis affligunt homines: quòd ipsum est proprium Sathanæ, qui cædibus & sanguine delectatur.* Item an *Protestantes, qui suos aduersarios non persequntur, non sint longè præferendi papistis, præsertim quum & uires, & facultates habeant, ut si uellent, non minus grassari poßint. & sæuire, quàm papistæ.*

An

An Papa, qui hoc tempore omnium exulceratißimo cardinales omnes, præsertim Gallos, Romam accersit, concilij habendi causa, ut apparet, aperte ludificet orbem, ut qui tempore pacis nullam concilij mentionem fecit: & nunc ideo facit, quia uidet & nouit impoßibile esse ut congregentur, præsertim cum eadem arte superiori proximo bello sit usus etiam. 77

An si uetus & nouum testamentum paßim inculcarent, repeterent, & mandarent eiusmodi articulos, quales Theologi Parisienses *nuper decimo octauo* Ianuarij *compilarunt, & senatus autoritate comprobari uoluerunt, inhibituri essent ijdem* Theologi *ne* Biblia *Gallice imprimeretur.* 78

An Theologi Parisienses, *qui dicuntur ad* Papam *scripsisse, & grauiter esse conquesti, quod in fulcienda & restauranda sua ecclesia quæ ruinã minatur, & iam iam casura uidetur, destituãtur ab ijs qui debebant imprimis opem ferre, meriti sint pœnam, in qualem superioribus annis* Beda *theologus incurrit.* 79

An ijdem Theologi, *quibus et inuitis, et iam olim summa contentione reclamantibus,* Rex *uoluit & iußit* Biblia *sermone* Gallico *translata, excudi & publicari, non debeant metuere,* 80

ne

ne Rex peßimā de ipsis opinionem concipiat, & cogitet eos (quia tam sanctum & necessarium opus, mille artibus impedire uoluerunt) aliquid monstri alere, & ueritatem ferre non posse: præsertim cum idem Rex nō ignoret, quàm grauiter ante pauculos annos tulerint, quòd ipsius munificentia linguarum professores instituerētur: audiat etiā non rarò per occasionem, quantum semper negocij facessant bonis & doctis uiris, ipsi tam indocti & insulsi, ut quoties aliquid uel scribunt, uel loquuntur, omnibus se deridendos propinent, & fastidium nauseamq; ingerant.

FINIS.